A. lat. a.
558

Digitized by Google

A. Lat. a. 2 [illegible]
558

Sturm
(Horatius)

438.

<36611731110017

<36611731110017

Bayer. Staatsbibliothek

COMMENTARII

In artem poeticam Horatij, confecti ex Scholis IO. STVRMII.

Nunc primùm editi, opera & studio Ioannis Lobarti Borußi.

ARGENTORATI
Excudebat Nicolaus Vvyriot, Anno
M. D. LXXVI.
Sum Ioh. Georgij à Werdenstein, 1576

Bayerische Staatsbibliothek München

Andreae Felicis Oeffely

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS

REVERENDIS,

ET DOCTISSIMIS VIRIS, Domino Matthæo Gering Magistro Philosophiæ & artium liberalium, Præposito: Dño Michaëli Reinlein, Decano: alijsq; Ecclesiæ S. Michaëlis & Petri Collegis,

S. P. D.

ON arbitror, viri Clarissimi, veteres cum Græcos, tum Romanos, vlla ex re maiorem laudem & gloriam consecutos, quàm quod nõ plus bellicis laudibus claris, quàm doctrinæ studijs præstãtibus viris tribuisse vidẽtur. Et certè si quis, quantum bonarum artiũ studia generi humano non ornamenti modo, verum etiam præsidij adferre soleant, paulò accuratius atq; diligentius perpendere voluerit: vt rectè atq; præclarè illos fecisse fatebitur: ita eorum sententiæ minimè

ſubſcribet, qui ſine literatorum hominum ope atq; auxilio quicquam laude dignũ, aut præclarum inueniri poſſe exiſtimant.

Magnum eſt conſilijs rempublicam iuuare: ruinam cum ſeruitute minantem patriã ab interitu vindicare laudabile: multa eaq; grauia bella conficere, vrbes expugnare, longè lateq; fines Imperij propagare, omnibus fortunæ telis atq; periculis, pro ſalute communi ſeſe obijcere præclarum: ſanguinẽ deniq; pro eadem effundere glorioſum. at longè maius eſt & excellentius, homines diſperſos, moreq; beluarum viuentes, in ſocietatem vitæ conuocare: domicilijs & connubijs iungere: de Deo & religione rectè inſtituere: iura atque leges ciuibus dare: & alia ad ciuilis vitæ conſtitutionem, conſeruationem atque propagationem neceſſaria ſuſcipere.

Id quod fecerunt, aut certè facere cona-

ti sunt, excellenti ingenio & doctrina viri, maxima non modò sui laude, verùm & cum posterorum vtilitate.

Ac vt silentio iam præteream quid philosophi, qui rebus omnibus cõtemptis & spretis, veritatis indagationi atque inuentioni totos sese dediderunt, de Deo, de rerum natura, principijs atq; causis, de moribus, de virtutibus, de legibus sanctißimis vtiliß imisq; tradiderint. quis tam est præclarè vel ab ingenio, vel doctrina, vel eloquentia instructus, qui Oratorum laudes vlla dicendi copia verbis exornare satis, aut æquare se posse confidat? qui nisi ornata & eleganti oratione mortales vnum in locum contraxissent: non vrbes essent hodie, non oppida, non vici: nulla societas iniri, nulla concordia coalescere posset.

Quod ipsum Plato in Prothagora, fabula lepidißima innuisse videtur, cùm ait,

Homines primùm in lucem editos, & variis artibus, ad vitam tuendam, victumq; quærendum necessarijs instructos, passim in syluis sine certis sedibus oberrasse. Cumq; animaduerterent, se violentiæ bestiarum expositos, vrbibus extructis congregari cœpisse, vt ferarũ iniurias declinare possent. Verùm cum politicæ ignari, ab iniurijs aliorum tuti non essent, atque rursus in syluas & solitudines dispersi, passim feris dilaniandi obijcerentur: Iouem eorum misertum, misisse Mercurium, qui pudorem & iustitiam omnibus largiretur, quibus ciuitates ornarentur, ac cœtus hominum mutua beneuolentia iungerentur.

Iam verò de humanis rebus egregiè meritos esse, qui historias scripserunt, nemo est qui non intelligat.

Horum siquidem industria & diligentia effectum est, vt indeusq; ab initio mundi

di diligens & accurata temporum annoruḿq; ſeries ad nos vſq; peruenerit. in qua vel excellentium populorum, vel ſummorum principum, vel illuſtrium virorum res geſtas, vitam, mores, virtutes, vitia: conſilia item atque euentus rerum, fortunæ inconſtãtiam, Imperiorum mutationes, tanquam in ſpeculo aliquo cernimus, & ob oculos poſita cognoſcimus.

Quarum rerum contemplatione, aut potius cognitione ad iuſtitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, ad omnes deniq; virtutes ita inflammamur, vt his ipſis nihil antiquius, vitijs nihil deteſtabilius exiſtimemus. adde quod tantam inde experientiam nobis comparamus, quantam ætas hominis longiſſima afferre vix poſſet.

Itaq; Alexandrum Seuerum Romanorum Imperatorem, quoties deliberationes de rebus magnis atq; difficilibus eſſent in-

ſtituendæ, peritos hiſtoriæ conſulere ſolitū fuiſſe legimus.

Et Lucullus, rei militaris rudis, cum ad bellum Mithridaticum miſſus eſſet à Senatu, tantam (teſte Cicerone) inter nauigandum, partim percontando, partim legendis hiſtorijs, operam poſuiſſe dicitur, vt propter præclarè, fortiter, fæliciterque res geſtas in Aſia, Rex ille poſt Alexandrum maximus, hunc à ſe maiorem ducem cognitum, quam quenquam eorum quos legiſſet, fateretur.

Quid de poëtis dicam? quorum monumentis nihil vtilius, pulchrius nihil, nihil ſublimius, nihil deniq; iucundius reperiri poſſe conſtat.

Nota eſt Stoicorum illa philoſophiæ totius, in naturæ obſcuritatem, vitam atq; mores & differendi rationem, partitio. Omnium harum veſtigia in poëtis oſtendi poſ-

ſe,

se, quis tam est in eruditorum scriptis peregrinus, tam à literis alienus, tam à Musis auersus, qui negare id audeat? præsertim cum videat quæstiones difficilimas de Dei natura, de principijs rerum, de mundo, de generatione & corruptione, ac similibus rebus, poëtas omnium primos ita tractasse, vt qui de ijsdem rebus postea scripserunt philosophi, horum & sententiam sequi, & authoritatem citare non dubitarint.

Sic rerum omnium autorem esse vnum, Homericis verbis fatetur Aristoteles ἓς κοίρανο ἔστω, ἓς βασιλεύς. *Ita Thales Milesius omnium rerum initium aquæ attribuens, Homerum sequitur. Et Pythagoras, primus animam immortalem esse affirmans, eundem, qui prior hoc viderat, imitatur.*

Ad vitam autem & mores quod attinet, quis ex omni scriptorum numero est,

qui vitæ præcepta, atq; officia virtutum melius quàm poëtæ tradiderint?

Nónne Hesiodus, quo pacto benè beateq; viuendum sit, ostendit? Nónne Virgilius, quo pacto togæ, armorumq; tempore vitam suam, actionesq; cunctas laudabilis princeps instituere debeat, in Aenea docuit? Nónne prudentis viri munera in Vlysse: fortis in Achille: eloquentis atq; diserti in Nestore Homerus est persecutus.

Comici autem suis scriptis quid propositum habuerunt: quid Tragici, quid Satyrici voluerunt, quàm propositis vtriusque vitæ exemplis, quid expetendum, quid fugiendum sit, ob oculos constituere?

Iam vero dicendi facultate, cui principem locum omnes omnium ætatum viri docti tribuere sunt soliti, quantum excellu-erint poëtæ, vel inde solum, vt opinor, perspici potest, quod multi, qui artis illius prin-

cipia

cipia reliquerunt Rhetores, ea se ex poëticæ artis penetralibus deprompsisse, summosq; oratores, & multa, & varia dicendi exempla, cum ex alijs, tum verò Homero mutuatos esse fateantur.

Testem huius rei locupletissimum Quintilianum adducere possum, qui Oratoriarum Institutionum lib. 10. Cap. 1. omnibus hunc eloquentiæ partibus initium & ortũ dedisse: hunc neminem in magnis rebus sublimitate, in paruis proprietate superasse: eundem lætum ac pressum, iucundum ac grauem: tum copia, tum breuitate mirabilẽ, nec poëtica modo, sed oratoria virtute eminentissimum esse scribit.

Non ego iam laudationum exempla adduco, non exhortationum: consolationes omitto. Legatio autem illa ad Achillem missa: aut inter duces orta contentio: aut dictæ principum sententiæ: nónne artis dicendi

exempla

exempla pulcherrima continent?

Quid de orationũ partibus dicam? quas eum, non dico obseruasse, sed constituisse constat. Exordij ille præcepta quasi tradit, dum & beneuolum auditorem, inuocatione Dearum, quas præsidêre ꝟatibus creditũ est, conciliat: & attentum proposita rerum magnitudine facit: & docilem summa rei totius breuiter comprehensa reddit.

Quis narraret breuius, quàm qui mortem nunciat Patrocli? quis significantius, quàm qui Curetum Ætelorumq; prælium exponit?

Iam argumenta, tam probandi, quam refutandi gratia instituta, earumq; expolitiones, exornationes, amplificationes, digressiones, ꝟerborum ac sententiarum ornamenta, tot apud eum, tamq; præclara reperiuntur, ꝟt ea non dico æmulatione, sed intellectu tantùm sequi, perquam arduum

atq;

atq; difficile, & prope ἀδύνατον sit.

Quæ cùm ita sese habeant, & ex ijs quæ dicta sunt hactenus, constet: cùm omnium aliarum artium, tum verò poëtices tantam & dignitatem, & vtilitatem, & necessitatem esse, vt nemo sine hac ad solidam, perfectamq; eruditionis laudem peruenire, aut in humanitatis studijs locum tueri suum possit: non immeritò poëtæ olim sapientes sunt habiti, ac velut Deorum singulari dono, atq; munere concessi nobis essent, omnes in sui admirationem conuerterunt. adeo etiam vt eorum quidam Dijs geniti crederentur, alij tanta veneratione colerentur, vt etiam ab infestissimorum hostium vi atq; iniuria tutos suos præstiterint

Vnde & Lysander Lacedæmonius inducias Athenienſib. concessisse fertur, dū Sophocles sepeliretur: Alexander familiæ Pindari Thebis captis peperciſſe: & Syracusani

cusani captiuos liberos dimisisse in Euripidis gratiam dicuntur.

Cæterùm licet multi cum Græcorum, tum latinorum poëtarum vltrò sese offerãt: vnus tamen omnium lectione dignissimus Q. Horatius Flaccus esse videtur.

Siue enim multiplicem rerum variarũ cognitionem spectemus: siue verborum puritatem atq; elegantiam consyderemus: siue sententias graues, de rebus magnis, grauibus, vtilibus propositas habeamus: siue deniq; vitæ atq; morum præcepta quæramus: nemo, mea quidem opinione est, qui, obi ab Homero & Virgilio discesserimus, anteferri ei possit.

Hinc rectè magni & ingenij & iudicij vir Quintilianus, eum solum lectione dignum existimat: hinc tot etiam in eundem doctissimæ, clarissimorum virorum, cùm veterum, tum recentium extant lucubrationes:

ones: quibus, cum artis poëticæ commèntarij, Viri clarißimi, & de re literaria optimè meriti Ioannis Sturmij præceptoris mei perpetua obſeruantia colendi, annis ſuperioribus acceſſerint: tanta breuitate & perſpicuitate mentem Horatij explicantes, vt iam abſq; vllo labore à quouis facilè intelligi poſsit, meritò ab omnibus artis poëticæ ſtudioſis amandi ſunt & magnifaciendi.

Vos etiam viros clarißimos, quorum nominibus libellus hic inſcriptus in lucem prodit, planè confido, hoc qualecunq; meũ ſtudium, pro veſtra ſingulari humanitate, in partem optimam accepturos.

Tum enim hanc operam quam rectißimè collocatam exiſtimabo: cum & vobis placuiſſe eam, & ſtudioſis adoleſcentibus non omninò ingratam accidiſſe ſenſero. His valeant R. V. Argent. 28 Martij Anni 76.

Ioannes Lobartus Boruſſus.

Epigramma

Vtrum natura ueniat uel ab arte poëſis:
Num quid & officium præſtet utriq́;: rogas:
Sola parum natura poteſt niſi culta ſit arte:
Quæris utrum præſtet: quod dat Apollo Deus.
Pierias generat uires grynæus Apollo:
Naturam ars, artem cura laborq́; parit.
Ergo legas Flaccum ſumma quem STVRMIVS *arte*
Explicat: ars uires ſi parit ingenij.

M. Georgij Calamini Sileſij.

IOAN. STVRMII SCHOLAE IN ARTEM Poëticam Horatij.

TSI propter ætatem, & facultatem non uersari in hac arena, sed donari rude debcerem: malo tamen peccare agendo, quàm silendo: malo consilijs amicorum obtemperare, quàm sequi uires meas. Si enim Senecam senem, debilitatum memoria, non puduit præscribere amicis suis rationem declamandi: mihi certè turpè non erit in arte poëtica uersari. Constitui itaq; uobis explicare artem poëticam Horatij: in eaq; ostendere rationem & uiam, qua ad montem Heliconem peruenire possitis, etiamsi ego non possum eò progredi.

Quòd autem quidam genus huius scripti, uolunt esse ἐπιστολικὸν: quidam διδασκαλικὸν. Sciendum, si scripsit Horatius ad Pisones, fuisse epistolam: si uerò recitauit præsentibus Pisonibus, non iam esse epistolã, sed διδασκαλίαν. quicquid tandẽ sit hoc scriptũ Horatij, siue epistola, siue διδασκαλία: est ars poëtica, docens quomodo faciendus sit λόγος ποιητικὸς: ostendens qua ratione possis esse poëta, qua

ratione poßis uultum poëticum repræsentare.

Qui scriptum hoc referunt inter epistolas, & uolunt esse formam & ideam epistolæ, utuntur hac una ratione, quia scilicet missum sit ad Pisones. quemadmodum enim illa Horatij, quæ inscripta sunt ad uiros illustres, et amicos: ad Mœcenatem, ad Numicium, ad Augustum, ad Iulium Florum, & ad alios, epistolæ dicuntur: ita et hoc epistolam dici uolunt. Sed hæc eorum ratio infirma est, Cicero libros de Oratore misit ad Q. fratrem, non tamen singuli libri sunt epistolæ: et liber de Claris oratoribus, ad Brutum scriptus est, non tamen pro epistola habetur. Alia est ratio quæ me mouet, ut ferè accedam ad illorum opinionẽ. Liber primus epistolarũ Horatij, habet supra mille uersus: liber secundus uix quingentos: si huic secundo addas hunc de arte poëtica, qui est etiam quingentorum propè uersuum, secundus erit par primo. hac ratione puto hanc epistolam tertiam, esse partem secũdi libri epistolarum. Ista sunt ingeniosa, sunt subacuta, studium habent nouitatis. Est et tertia ratio, quamobrem poßit haberi pro epistola. Illa ad Augustum libro 2 epistolarum, est λογικὴ, est sermonis, agit de poëtis. Ad Iulium Florum epistola item magna ex parte est λογικὴ, continet præcepta de poëtis. Sic hoc opus totum est λογικὸν, plenum præceptis poëticis, de oratione scil. poëtarum. Si ergo epistolæ dicuntur, quæ inscriptæ sunt. Augusto, & Iulio

Floro

Floro libro 2. epistolarum: cur non & hoc scriptum, epistola diceretur. hæ duæ posteriores meæ sunt opiniones, ut putem esse epistolam. Sed mihi antiquã retinere placet inscriptionem : HORATII DE ARTE POETICA LIBER. & hanc libenter retineo I. Honoris & dignitatis causſa. ostendit enim hæc inscriptio, in hoc libro res maximas tradi. non res parua est posse poetam facere. inter omnes enim scriptores, perfectißimi & consummatißimi sunt poëtæ. nullus λόγος est concinnior quàm poëtarum: nullus sermo plus habet suauitatis quàm poetarum: nullius scriptoris oratio diligentius est composita quàm poetarum: oratio poetarum, pulchritudine cæterorum antefertur orationibus. II. Propter utilitatem, quia unum uerbum habet argumentum totius operis. III. Propter ueritatem. totus enim hic liber est τεχνικὸς: tradit artem poeticam integram. nam, cùm omnia poemata sint μιμήσεις, ut & poetæ μιμηταὶ: μίμησις autem sex perficiatur rebus. quarum prima est μῦθος. 2. ἦθος. 3. διάνοια. 4. λέξις. 5. μελοποιΐα. 6. ὄψις: omnium istarum rerum semina liber hic complectitur. quas. si moderabitur poeta: habebitur inter perfectos.

Primùm itaque in Imitatione spectandum, est μῦθος, hoc est, ipsa fabula, quæ continet omnes actiones. poeta bonus primo loco debet sibi deligere μῦθον. sumite materiam, inquit Horatius, ueſtris, qui

scribitis, æquam uiribus. Per μῦθον intelligo hypothesin, argumentum scilicet rei ueræ, uel quasi ueræ, & quæ fieri potest. oportet igitur poetam deligere fabulã uel ex Homero, uel ex alio aliquo, quem uelit imitari. II. Est ἦθος. Poeta debet animaduertere naturas, ingenia, & mores personarum. mores enim hominum causſæ sunt totius uitæ: causſæ sunt rectè factorum: Sunt etiam causſa maleficiorum. ad agendum excitantur homines suapte natura, siue bona, siue mala. latrones, uenefici, & similes, natura mala, ingenio malo moribus malis. oportet igitur consyderare poetam mores personarum, ætates hominum, singularum ætatum studia: mores Hectoris, Simonis, Aeneæ, Vlyxis & cæterorum. III. Est διάνοια. poëtam oportet considerare mentem, id est, consilia personarum: instituta uitæ, quæ cognoscuntur ex oratione: oratio est index animi. Per διάνοιαν intelligo ea, quæ Aristoteles uocat ἀποφάνσεις: item ea, quæ uocantur ab Aristotele in Topicis προτάσεις: intelligo dogmata, opiniones, placita hominum, de rebus bonis & malis: intelligo omnẽ genus sententiarum. oportet poetam consyderare, quæ sit singularum personarum oratio. hæc sunt tria imitanda: μῦθος: ἦθος: διάνοια. μῦθος est actionum: habet πράξεις, res gestas habet: nihil aliud est nisi περιοχὴ πράξεων id est, factorũ, quæ sunt proposita ad imitandum. ἦθος est habitus

& na-

& naturæ. Sic Terentius Simonem seuerum: Chremetem lenem introduxit. In Simone durum imitatur patrem: in Chremete lenem. Διάνοια est naturæ & προαιρέσεως. Sic alius διάνοιαν Platonis, alius Cratippi, alius Zenonis sequitur. IIII. Est λέξις: genus dicendi: ipsa oratio, qua superiora tria imitamur. oratione enim imitamur Lesbiam ebriosam mulierem: imitamur ipsum Thrasonem: Magnas uero agere gratias Thaïs mihi: Ingentes. hic factum hominis uno uerbo imitatur Gnato. V. Est μελοποιΐα cantus chori. cantu enim exprimuntur mores Hominum. Cantus indicat lætitiam animorum, indicat tristitiam, æquanimitatem, impatientiam &c. VI. Est ὄψις persona. per personam intelligimus laruas. laruam Simonis, Daui, Thaidis, Parmenonis &c. intelligimus theatrum: omne instrumentum scenicum, ut uestes, calceos, cothurnos: togam in togata Comœdia: Pallium in Palliata &c. Qui hæc sex persequitur, est τεχνικὸς, artem perfectè tradens: & liber qui continet, hæc sex, potest uocari τέχνη. quamobrem etiamsi Horatius non fecisset inscriptionem DE ARTE POETICA: nos tamen eam propter artem perfectam retineremus. Porphyrius dicit Horatium ex Neoptolemo ista præcepta collegisse, non legi, nec uidi Neoptolemũ. hoc tamen ostendere possem, totam hanc doctrinam esse Aristotelicam, ex libro Aristotelis de arte poetica sumptam.

TEXTVS.

HVmano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè:
Spectatum admissi risum teneatis amici?
Credite, Pisones, isti tabulæ fore librum
Persimilem: cuius, velut ægri somnia, vanæ
Fingentur species: vt nec pes, nec caput vni
Reddatur formæ. pictoribus atq; poetis
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.
Scimus, & hanc veniã petimusq;, damusq; vicissim
Sed non, ut placidis coeant immitia, non, vt
Serpentes auibus geminentur, tigribus agni.
Inceptis grauibus plerunq;, & magna professis
Purpureus, latè qui splendeat, vnus, & alter
Assuitur pannus: cum lucus, & ara Dianæ,
Et properantis aquæ per amœnos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluuius describitur arcus.
Sed nunc non erat his locus: & fortasse cupressum
Scis simulare. quid hoc, si fractis enatat exspes
Nauibus, ære dato qui pingitur; amphora cœpit
Institui, currente rota cur vrceus exit?
Denique sit, quod vis, simplex duntaxat, & vnum.
Maxima pars vatum, pater, & iuuenes patre digni
Decipimur specie recti. breuis esse laboro,
Obscurus fio. sectantem leuia, nerui
Deficiunt, animiq;: professus grandia, turget:
Serpit humi tutus nimium, timidusq; procellæ.
Qui variare cupit rem prodigialiter vnam.
Delphinum siluis appingit, fluctibus aprum,
In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.
AEmilium circa ludum faber imus & vngues
Exprimet, & molleis imitabitur aere capillos.

Infelix

Infelix operis summa: quia ponere totum
Nesciet. hunc ego me, si quid componere curem,
Non magis esse velim, quàm prauo viuere naso,
Spectandum nigris oculis; nigroq; capillo.

SCHOLAE.

Homines anteponuntur cæteris animantibus mente & ratione, quibus præditi sunt: sed homo homini antefertur excellentia & dignitate. & quo quis eloquentior, eò plus humanitatis, plus rationis habere uidetur. In homine autem præstante, in uiro excellenti duo debent esse, si uolet excellens uideri, si uolet præstans haberi. I. *Est mens pura, id est, religio, ueritas, innocentia. omnes uiri boni, omnes uiri literati pro puritate doctrinæ libenter debent oppetere mortem.* II. *Quemadmodum doctrina purissima esse debet, sic etiam oratio. in oratione enim omnis uirtus debet elucere. oratio debet esse uerecunda, pudica, & studiosa uirtutis: oratio debet habere uirgineum aspectum. Ad hunc uirgineum aspectum, ad uirginalem hanc formam & imaginem omnes, etiam mali, contendunt. id quod patet ex hoc initio:*

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit &c. *in quo pictor uirgineum cultum non potuit retinere quem nos hac instituti doctrina Horatiana facilè consequemur. Humano capiti.) Vnaquæque ars sua habet errata. Dialecticum ἁμάρτημα est repetitio principij. Sic poetæ habent sua peccata, sua habent ἁμαρτήματα. Incipit igi-*

tur Horatius à reprehensione erratorum, quæ sunt in poetis: & arripit primum quod in arte consyderandũ est τὸν μῦθον, id est, fabulã, ac ostendit totam fabulam, speciosam uirginem esse debere: omniaq; pulchra debere esse in huiusmodi uirgine, id est, pulcherrimam debere esse fabulam: docet poetam debere fugere in argumento inueniendo & cõstituendo, quod bonus pictor in corpore humano pingendo, ne idem ei accidat quod huic pictori, qui mulierem formosam pingere uolens, monstrum fecit quatuor partium. quarum prima est uirgineum caput. II. Ceruix equina. III. Plumæ, plumata membra. IIII. Ater Piscis. Humano) I. Genus uitiosorum poetarum. Spectatum admissi) ἐπεμβολή: interiectio sententiæ iucundæ: faceta interpositio rei ridiculæ: in re tristi: in re contra naturam, iocus est. Credite Pisones) ἀπόδειξις imperfecta. nondum explicata, adhuc suspensos lectores & risores tenet. Librum.) hoc loco quemuis librum intelligit, tam oratoris, quàm poetæ: intelligit librũ omnium scriptorũ, inprimis uerò poetæ. Est propositio infinita. boni oratores, poetæ boni semper ab infinitis ad finita descendunt. quapropter qui stylũ uult exercere in omni tractatione hæc obseruet. semper ab infinitis ad finita descendat. est enim hoc utile. I. Quia habet ordinem dialecticum: est methodica, est dialectica ratio. dialecticus consyderat genera summa, media, ima. II. Est

διάλε-

διδακτικὸν, appositum ad docendum. docet totam substantiam rei: retinet scriptorem in ordine: manet in uia, in tramite Dialectici, nec à re proposita discedit. III. Affert uarietatem. res enim uariæ, eodem pertinentes, afferuntur, cum à summis generibus ad ima descendimus. IIII. Affert perspicuitatem, præterquam quòd oratio fit copiosior. Cuius, uelut ægri.) Simile sumptũ ab insomnio ægroti, cui malus poeta comparatur. Sicut enim ægrotus peccat morbo, peccat phantasia: ita malus poeta peccat ignoratione uerę ideæ. & hic nondum res explicata. Pictoribus atque poetis.) Antequam ad speciale ueniat, introducit ἀντίθεσιν, id est, contrarium responsum. licet poetis fingere: poetæ possunt scribere, quæ nunquam fuerunt, nunquam extiterunt: poetarum est non solùm actiones ponere. sed etiam earũ consequentia, imò omnia quæcunq; probabalia uidentur. Scimus &c.) λύσις, refutatio illius ἀντιθέσεως. est λύσις, habens ἐπιείκειαν, respondet sedato animo. hãc ueniam petimus. Sed non ut.) Poeta imitator naturæ, imitator actionum: non debet imitari quod contra naturam, contrà consuetudinem est. qui id facit: malus est poeta. non rectè enim utitur suis locis communibus. Nondum perfecta ἀπόδειξις, adhuc loquitur ἀνιγματικῶς. Non ut placidis.) Declaratio τῦ πρώτου ὁμοίου. per placidum intelligit humanum caput, inde sequuntur species, non ut serpentes aui-

bus geminentur &c. Serpentes.) Animantia terrestria. Auibus.) quæ in aëre uolant. Tigribus.) In lustris ferarum. Agni.) In stabulis hominum. agni mitissima sunt animalia. Tigris est uoracissimum, est rapacissimum animal. agnus nemini uocet: Tigris omnibus animantibus est infesta.

Inceptis grauibus.) Hactenus ostendit σύγκριν τῦ μύθυ, id est, Fabulæ compositionem totam uitiosam, uitiosum scil. argumentū, uitiosam hypothesin, in qua placida miscebantur immitibus: Serpentes auibus: tigribus agni, hoc est, cōtraria & pugnantia inter se: discriminata locis atq; temporibus: res multiformes. hoc loco reprehendit eos poetas, qui absurdas faciebant ἐκβάσεις, id est, narrationes à re alienas, digressiones ad rem nō pertinentes, & illis digressionibus delectabātur, ac si totus ornatus in his cōsisteret. quem tamen dicit fuisse pannum quidem purpureum late splendentē, sed ineptum, & à re alienū. & probat hoc exemplis, ibi, Cùm lucus & ara Dianæ &c. Si enim huiusmodi poetis propositū sit describere lucum aliquem Dianæ sacrū, & amnem etiā eiusdem luci: adferre eos, ait, ad hæc amplificanda, rei alienæ descriptionē, & in descriptione luci Dianæ, amniq; illius qui exiguus est fluuius, digredi in descriptionē Rheni, & describere Rhenum amplissimum flumen, quod uel multa miliaria fluit, quod nauigabile est: item ascendere eosdem ex luco Dianæ in cœlum, &

descri-

describere Iridem: *ita ut illa digressio rem quasi obscuret.* *Incœptis.*) Loquitur *in hoc loco de exordio, de principijs poetarum.* *Magna profitēris.*) Profiteri est magnificè proponere, id est, magnificis propositionibus, splendidis exordijs. *Purpureus.*) Hic ostendit, quid per similia intelligat. per humanum caput intelligit grauia principia poematum. per uarias plumas purpureum pannum, id est, locos communes: digressionem à re, cuius caussa institutum erat poema, in rem alienam: materias nō pertinentes ad poemata. Poema tria habet: τὰ ἐνδιάθετα, id est, substantialia, ut errores Vlyxis, reditus in patriam, restitutionem sociorum &c. deinde τὰ ἐπεισόδια id est, circumstantias, adiacentia, ut Cyclopem &c. Illa sunt necessaria, non sunt aliena, sed conuenientia: ad rem pertinentia. postremò habet poema τὰ ἀλλότρια, id est, aliena. ea oportet uitare: & hæc Horatius, hoc loco, uituperat. non quod non liceat digredi, aut cum dignitate aliquando proponere: sed ut ostendat, ἀποφάσεις, id est, declinationes à re proposita alienas, esse cauendas. Pulchrum est principium Hesiodi, magnam habet dignitatem:

Μοῦσαι Πιερίηθεν ἀοιδῇσι κλείουσαι,
Δεῦτε δὶ ἐννέπετε σφέτερον πατέρ' ὑμνείουσαι, &c. Principium, est de Ioue, & tamen subiungitur digressio poetica: ἐκ Διὸς &c. & describuntur duo genera contentionum. Est idoneum princi-

pium

pium: est idonea digressio. Sed cùm uolo lucum & aram Dianæ describere, & ambitum fluuij in illo luco & addo descriptiones Rheni: elegantia illa non pertinet ad rẽ. Ambitus aquæ.) In illo ipso luco. Sed nunc non erat.) ἐναντίωσις seu causa reprehensionis: in hac hypothesi de luco Dianæ & ambitu aquæ properantis per amœnos agros, non erat his locus, id est, inepta erat descriptio Rheni & Iridis.

Et fortasse cupressum.) Est tertium genus poetarum, quod descriptiones etiam facit ineptas. Superius genus poetarũ habebat hãc laudem, quod poterat plures huiusmodi descriptiones facere: Purpureus, late qui splendeat, unus, & alter Assuitur pannus. hoc genus laborat duobus uitijs. I. nisi unam rem potest describere: in una tantùm re est exercitatum: solum cupressum scribit, quemadmodum quidam pictores solùm cupressum pingunt. II. Rebus tristibus addit descriptiones lætas, descriptiones suaues: dolori uoluptatem: malis bonum, ut sc. hæc pictura de naufragio. Naufragio facto. nauem, merces, omnia bona quis amisit, tristissimus est. Pictor in naufragio, cupressum pingit: arborem lætam pingit in re tristi. in rebus tristibus pingere quod lætum est: turpe est. Cupressum.) In omni pictura. Exspes.) Recuperandæ nauis, rei, salutis. Exspes.) spe omni destitutus, absq; spe, sple plane deposita. Amphora cœpit.) Reprehensio altera, cum finis poëseos

non

non respondet principio: Cum principium est amplum, graue, grandiloquum: cum principium magnam dignitatem, magnam amplitudinem habet, & finis est exiguus. Amphora cœpit.) Principium fuit amplum. Vrceus.) Exile, tenue carmen, fistula quasi bucolica. Deniq; sit quod uis.) Superiorem locum concludit præcepto ἀποφαντικῷ: ostendens, fabulam debere habere μίμησιν μιᾶς πράξεως καὶ ὅλης. quodcunq; igitur carmen tibi scribendum proposueris, illud ipsum sit unum: Sit unum, sed totum unum, id est, unius actionis. nam poesis est imitatio unius hominis, rei, loci. hominis, ut Aeneæ. Rei, ut patriæ nouæ: translatorum penatium: nouæ sedis. loci: ut Italiæ, &c. Apud Homerum Ilias est μία πρᾶξις. continet res gestas ante Ilium: habet uarias personas, lites & iurgia, conuiuia, μονομαχίαν, concubitum Veneris, & uarias descriptiones: omnia illa sunt ἓν, id est, unum, συγκείσει scil. sunt unum τῷ ὅλῳ, id est, toto. Totum autem, principium, medium & finem complectitur. Sic in Comœdia nullæ partes faciunt totam Comœdiam. Sed ut tota sit, omnes requiruntur, utpote prologus, protasis, epitasis, & catastrophe. quatuor illæ partes conficiunt ὅλον. Quod uis.) Quæuis fabula, siue sit Medea, siue Aiax, siue Hecuba, siue Antigone, siue Hercules. Simplex.) Non compositum. Simplex.) sc. fine. desinat ex felicitate in infelicitatem, aut contra. Sic

Aeneas

AEneas fugiens infœlicitatem: nouam Troiam, nouum Latium, nouam Romam inuenit. Superiora non sunt simplicia. pictura enim illa, Humano capiti &c. constat ex rebus contrarijs, monstrum est, belua est multorum capitum. deinde ineptas descriptiones habet, descriptiones ad rem non pertinentes. tertiò res habet indecoras. quæ igitur pictura bona? Illa quam AEneas & socij eius apud Didonem uiderunt excidium Troiæ depictum, pugnas factas, & quæcunq; in parietibus depicta sibi consentanea uidit Aeneas. Item Hercules deliberans, quam uiam uitæ ingredi debeat, uirtutis an uitij. uirtus laceris uestibus picta: uitiũ pretiosis. Hercules sedens, & uidens loca illa quæ cõscendenda. omnia illa: Hercules. Virtus: uitium: sunt unum, sunt simplicia, pertinent eodem. Sic Luciani sermo de calumnia pulchram picturã habet. Apelles accusatus grauiter apud Ptolemæum, quod cum seditiosis conspirasset: tali imagine calumniam ultus est. Ad dextram considet quispiam auribus prælongis, manum porrigens procul accedenti, circumstant eum mulierculæ duæ. addit aliunde calumnia eximiè compta, iram æstuanti pectore conceptam præ se ferens, sinistra facem tenens flammiuomam, dextra secum adulescentem capillis prehensum rapiens, anteit uir pallidus. quin & mulierculæ aliquot calumniam sequuntur comites. à tergo lugubri habitu pœnitentia subsequitur, quæ capite

in tergum deflexo, cum lachrymis ac pudore procul uenientem ueritatem excipit. omnia illa sunt unum, sunt simplicia, finesc. finis enim est, ut uindicet se contra inimicum suum. Maxima pars uatum.) *Hactenus περὶ συντάξεως τῦ μύθυ. sequitur nunc genus dicendi, in quo quatuor cõmendat, breuitatem: grauitatem accommodatam: mediocritatem honestam. & subtilitatem. Mali poetæ peccant dicendi genere, dum uolunt esse breues, fiunt obscuri: dum uolunt uideri graues, fiunt turgidi. dum cupiunt esse floridi, concinni, politi: fiunt scriptores flaccidi, molles, inepti. Iuuenes.)* *Filij duo. Digni patre.)* *Respondentes uirtuti paternæ, non fallentes spem paternam. Decipimur.)* *In hoc loco est uerecunda oratio. uitium enim aliorũ sibi commune facit. Specie.)* *Idea, est ueritatis. Species autem falsi. Speciosa eloquentia est falsa, est Sophistica, est inflata. Recti.)* *ueri, id est, imagine ueræ uirtutis, ueræ poeticæ: imagine ueræ artis & facultatis dicendi. Breuis.)* *Breuitas est non solùm in rebus paucis, sed etiam numerosis. breuitas currit per omne genus dicendi. breue est, quodcunq; necessariũ est. Sectantẽ.)* *Si sector, dum sectari uolo, dum cupio assequi, cupio adipisci. Leuia.)* *Limata, florida: mediocre genus dicendi, mediocritatem in medio dicendi genere. Nerui deficiũt.)* *Eneruis scriptor euado, mollis, languidus, effœminatus, nihil in me uirile est. Professus grandia.)* *Qui*

gran-

grande opus profitetur. Turget.) Fit inflatus. grande & turgidum differunt quem admodum uitium & uirtus: quemadmodũ liberalitas & profusio. Grandia.) Grande poema. Tutus.) Qui tutus esse uult contra loca prærupta ipsius grandiloquentiæ, ipsius grauitatis: qui arduas arces ipsius eloquentiæ metuit. Procellæ.) naufragij, calamitatis. Serpit humi.) Poeta fit: aridus, sic scriptor sine succo, sine sanguine

Qui uaria.) Sequitur uitium orationis maximũ ταυτότητος, quæ est oratio ubiq; sibi similis, ubiq; eadem eiusdem ideæ, eiusdem characteris, eiusdem rei. huic uitio contraria est uarietas. quæ fit non solùm uerbis, sed etiam rebus. hoc loco loquitur de uarietate rerum. quidam facere uolunt poëmata, uaria rebus: sed uarietatem sectantur illam inepte. Varietas debet habere τὸ πρέπον: uarietas debet esse decora. Variare.) Varietate rerum. Rem unam.) Μίαν πρᾶξιν unam rei descriptionem: unum poema. Prodigialiter.) Vsq; ad admirationem: cum magna expectatione. prodigium est quòd porrò aliquid indicat. Delphinum.) Pictor peccat, si Delphinum, marinum animal extra flumen pingat: si aprum terrestre animal pingat in fluctibus. aper enim ne momentum quidem temporis in mari uiuere potest: sicuti nec Delphinus in terra. Quærit hic pictor uarietatem: admirationis quærit aliquid, sed indecorè, non seruato ordine naturæ. Sic poeta peccat, si in re

tristi,

triſti, rem lætam ponit: in re læta, rem triſtem. Si uariare uult perſonas: in uarietate illa decorum retineat. Sic poeta comicus, ſi quem uult decipi, ab aliquo: decet illum decipi à ſeruo malo, non bono, ſi uult adoleſcentem emungi ſuis bonis: fiat id à Phormione non bono, ſed improbo: à meretricula non bona, ſed improba. In uitium.) τῆς ταυτότητος: *orationis ſemper ſibi ſimilis, ſemper æqualis.*

Aemilium circa ludum.) Alia uituperatio, *aliud uitium poetarum. Superiores ſimilitudines à pictoribus ſumptæ erant. hîc fabrum & aurificem adducit, qui poteſt partes aliquas corporis facere, totum non poteſt componere, in aliquibus eſt inſignis, ſed compoſitor imperfectus. Sic quidam ſunt poetæ, qui ualent in narrando, in perorando non item. ſunt qui poſſunt deſcribere Martem, ſed non Venerem: poſſunt exprimere capillos & ungues: ſed naſum non poßunt facere niſi deformem. Hi artifices ſciunt quidem cõponere, ſed imperfectè. oportet membra ubique eſſe perfecta: in omni parte oportet artificem perfectum eſſe. Sit homo pulcherrimus: fac ei deformem naſum, deformis erit. Ludum.)* Gladiatorium. *Imus.)* In ima parte habitans. *Vngues.)* Digitorum. *Imitabitur.)* Poetæ imitantur res, mores, ingenia, orationes, uultum & geſtum. pictores, ſtatuarij, aurifices imitantur formas rerum. *Summa.)* Perfectio operis. *Totum.)* Omnes partes, in aliqui-

bus bonus est, sed non in omnibus. qui non potest tam Comœdiam suis partibus perficere. hunc poeta nō habeo. malo deformem habere nasum, quàm eiusmodi esse poeta.

TEXTVS.

Sumite materiam uestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu. quid ferre recusent:
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
Ordinis hæc uirtus erit, & Venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraque differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

SCHOLAE.

Hactenus Horatius ostendit erratá, seu potius quinque genera uitiosorum poetarum. quorum primum est eorum qui omni in parte fabulæ peccant: qui totum argumentum habent uitiosum: totam uitiosam hypothesin: qui faciūt poema, quod πολυμορφίαε est ἄμορφον. II. Eorū qui delectantur ineptis digressionibus. descriptionibus non idoneis. quod genus poetarū ualet in pluribus descriptionibus: potest lucum Dianæ describere, flumen Rhenum, pluuium arcum &c. Sunt quidē narratores huiusmodi poetæ: in descriptionibus non mali: sed descriptionibus utuntur ineptis. III. Eorum qui solùm possunt ponere Cupressum, una in re ualent in uno aliquo argumento sunt exercitati. Hoc genus poetarum cum incipit poema: uidetur incipere ab amphora. Sed desinit

tandem

tandem in urceo. Parturiunt montes nascitur ridiculus mus. Principium poeseos est ueluti Hercules Agamemnon, Oedipus. finis autem sicut Corydon. incipiunt huius generis poetæ ut heroici. desinunt ut Bucolici. IIII. Eorum qui possunt delphinum in syluis, aprum in fluctibus pingere. hoc genus potest pingere, potest describere, sed non seruat decorum. ponit ornamenta inepta. quæ contrahenda sunt, amplificat, quæ amplificanda, contrahit. V. Et postremum genus poetarum est, quod in minoribus rebus aliquid potest: capillum & ungues potest formare. Sed infœlix operis summa. in minoribus ornamentis, & aliquibus partibus exercitatus est huiusmodi poeta. in toto opere cõstituendo, ineptus. Hæc hactenus. nunc præcepta tradit. incipit autem ἀπὸ τῆς ὑποθέσεως: ἀπὸ τοῦ μύθου, à fabula: ut superiora uitia possimus uitare, & in eiusmodi incommoda & uitia non incidere. ut possimus uitare ἐξηγήσεις Grammaticorum, qui interpretes sunt poetarũ. ut possimus stare: ut possit dici poeta stare, donec dicatur plaudite. Materiam.) τὸν μῦθον, ὑπόθεσιν: ipsum argumentũ: fabulam: materiam fabulæ, aut quamuis materiã, quod Aristoteles dicit λαμβάνειν προτάσεις, nihil aliud est, quàm propositiones deligere: cum iudicio eligere. nõ temerè arripere, sed uidere, quæ sint necessariæ, quæ probabiles. Aequã.) Aequatam, æquiparatã, habet aliquid nouitatis hoc

uocabulum, non forma, sed usu. Sumitur æquum pro æquiparato. Hoc consilium dedit Horatius: hoc consilium secutus est etiam lib. I. Carm. Ode 6. ubi recusat Agrippæ laudes describere carmine Heroico: sic enim inquit:

Scriberis uario fortis, & hostium
Victor, Mæonij carminis alite
Quam rem cunque ferox nauibus aut equis
Miles te Duce gesserit.

Nos Agrippa, neque hæc dicere &c. Quemadmodum Horatius secum deliberat, & quærit materiã aptam suis humeris, utpote suam Lesbiam, Lydiam, Pyrrham, sua conuiuia, & huiusmodi res quæ idoneæ sunt suis humeris: Sic omnibus carmen aliquod scribere uolentibus, faciendum. Valeant.) quam materiam, quod argumentum humeri queant ferre. Humeri.) Facultas illa poetarum. Cui lecta.) Prima deliberatio est de re. Cum rem dicit, intelligit etiã personas. Per rem intelligit facta ipsius Achillis, facinora præclara ad Troiam: cædes ipsius Hectoris: arma ipsius heroïs. oportet poetam deliberare, quis heros ipse sit Achilles: an heroa hunc possit facilè celebrare: an res gestas ita possit proferre in mediũ, quemadmodum persona & rerũ maiestas postulat. deinde oportet poetam legere potenter. Siue dicas hic lecta, id est, collecta, siue cognita: utrumque bonũ est. est homonymia, quæ nihil nocet. legere enim &

cógno-

cognoscere, & colligere significat. eiusmodi homonymiæ laudantur in oratoribus. commendantur in poetis. Vtrumque faciendum. oportet & eligere & colligere: sed ut colligamus, oportet nos primùm cognoscere. Si uis Medeam describere, oportet te cognoscere, quid alij poetæ de ea tradiderint: non solùm fabulam ipsam oportet cognoscere: sed etiam uidere quid in singulis agant reliqui poetæ actibus: quomodo explicent eius tragœdiæ argumentum. primùm oportet te cognoscere fabulam: deinde alterius Tragœdiam inspicere, & uidere quid fecerint reliqui in prologo, in episodijs, in choris, in exitu: quid faciant in κατασκευῇ, in progressione, in epithasi: quæ narrentur in principio, quæ in medio, quæ in fine. ad summam, oportet te cognoscere totũ. Cuires fuerit cognita ad hunc modũ: eum nec facundia deseret, nec lucidus ordo. Facundia.) Ornamenta uerborũ & sententiarum: nec uerba hunc deficient, neque etiam sententiarum copia, proprietas, ornatus. Huiusmodi poeta poterit esse uere συγκριτικὸς: ueram poterit σύγκρισιν Comœdiæ, aut Tragœdiæ, aut operis alicuius facere. Ordo.) Aristoteles lib. 8. Topicorũ uult Dialecticum esse τακτικὸν: sic etiam poeta τακτικὸν debet esse. Sophocles putauit inuento ordine & dispositione, se confeciſſe Tragœdiam. Venus.) Hæc uirtus, hæc Venus & elegantia: est ordo artificiosus. Nunc dicat.) In hac scena dicat, quæ in hac dicenda:

in singulis dicat, quæ dicenda. Oportet enim poetã aut scriptorem non præcipitem. sed temperantem esse. Quod uitandum in prandijs & cœnis: id quoque in Comœdijs, tragœdijs aut conscribendo uo lumine uitandum. qui rectè cœnant, non replent uen triculum primo ferculo: sed seruant sibi aliquid secundo, tertio, quarto &c. quod in cœnãdo, id in scribendo faciendum. Oportet nos semper materiam seruare medijs & extremis. Sed hoc non simpliciter intelligendum. aliquando enim quæ postremo loco agenda, oportet in principio ponere. quædã adhibenda in principio, sed non pertractanda. Differat.) *Quædam omninò omittenda: quædam breuiter attingenda: aliquarum rerum fumus indicandus, sed postea oportet in medium afferre lumen.* Differat.) *In alium locum, in alios actus: in secundum, tertium, quartũ reijciat.* Omittat.) *prætereat.* Præsens.) Recte monitus sum à Doctore Gyphanio, *præsens hoc loco significare εἰς τὸ παρὸν.* Omittat.) *Quædam sunt ἀφῃρημένα, quæ sumuntur, quæ tractanda sunt: quædam differuntur in aliud tempus: quædam omittuntur. In præsenti ponimus necessaria: differimus in aliud tempus quæ reseruanda: præterimus quæ nõ sunt idonea.* Præsens.) *Non attingat in præsenti tempore.* Hoc.) *aliquid.* Amet.) *Colat cum uoluptate: quod placet, ponat.* Spernat.) *abijciat.* Homerus *multa non attigit, quæ sunt tradita de Vlyxe.*

multa

multa sunt omissa in Homero: non omnia sunt posita. & hæc de collocatione. Nemo hunc locum rectè intelligit, nisi qui benè exercitatus est in scribendo. Idem præcipit Marcus Crassus in primo de Oratore, quod hic Horatius. Orator cùm uult cognoscere causſam aliquam: aduocat reum. cogit eundem sibi rem totã exponere: postquam rem ipsam cognouit, uult testes scire: uult scire quales sint homines: quo tempore factum: quo in loco: uult principium, medium, extremum scire. & sic Orator discit, & fit discipulus rei. Re benè cognita, nec facundia deserit Oratorem, nec lucidus ordo. nihil itaque melius ad facultatem comparandam, quam rem penitus cognoscere. quod quidem commune præceptum est Oratorũ & poetarum.

TEXTVS.

In uerbis etiam tenuis cautusque serendis;
Dixeris egregiè, notum si callida verbum
Reddiderit iunctura nouum, si fortè necesse est
Indicijs monstrare recentibus abdita rerum:
Fingere Cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter,
Et noua, fictaque nuper habebunt verba fidem: si
Græco fonte cadant, parcè detorta: quid autem
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus, ademtum
Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
Si possum, inuideor, cum lingua Catonis & Enni
Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit? licuit, semperque licebit,
Signatum præsente nota producere nomen.
Vt syluæ foliis pronos mutantur in annos.

Prima cadunt: ita verbotum uetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentque.
Debemur morti nos, nostraque: sive receptus
Terra Neptunus, classeis aquilonibus arcet,
Regis opus: sterilisve diu palus, aptaque remis
Vicinas urbeis alit, & graue sentit aratrum:
Seu cursum mutauit iniquum frugibus amnis,
Doctus iter melius: mortalia facta peribunt,
Nedum sermonum stet honos & gratia uiuax,
Multa renascentur, quæ iam cecidêre cadentque,
Quæ nunc sunt in honore, uocabula: si volet vsus:
Quem penes arbitrium est, & vis, & norma loquēdi.

SCHOLAE.

Primùm considerandum in poemate est μῦθος, argumentum, hypothesis. hypothesis continet res atque personas. res magnæ requirunt orationem magnã, id est, grauem & amplam. de rebus magnis grauiter oportet differere. Res tenues, tenuem orationẽ requirunt & subtilem. Res mediocres, & personæ mediocres: orationem inter mediam, hoc est, mediocrem. 2. fuit περὶ τῆς ἰδέας: περὶ τὸ χαρακτῆρος: de forma seu figura dicendi. Hactenus igitur ostendit quæ uitia in argumentis eligendis & constituendis uitanda. quæ etiam uitanda in charactere, in forma & pictura orationis: in genere dicendi. Et si autem genus dicendi rebus præcipuè æstimatur: rerum scil. æstimatur, censetur, & cõparatur magnitudine, exilitate, mediocritate. tamen, cùm origo eloquentiæ, sit delectus uerborum: uerbis potissimùm ornan-

ornantur & res, & personæ etiam ipsæ. quapropter hoc in loco præcepta tradit de uerbis: quomodo scil. ea ipsa sint eligenda, adhibenda, contemperanda & conformanda. Verborum copiam non tradit, quod Grammaticorum est proprium. nec etiam ordinem in uocabulis instituendis: quod in Lexicis fieri deberet. quæ si instututa essent secundum artificiosum naturæ & rerum ordinem: nõ ita laboraremus: non uiginti annos consumeremus in studijs. Romani duobus annis Rhetores facere potuerunt adolescentes. sumebant enim linguam ex uberibus matris. ego aliquot annos docui, nullũ feci Oratorem. quare? quia non distinguimus bene, destituimur uocabulis: centesimam partem non possumus nominare latine. quot quæso sunt uocabula in culina quæ ignoramus? Si docti conferrent operas suas, posset ordo institui: & si in lingua materna nos exerceremus: in alijs deinde facilior foret ratio. Hæc non pertinebant ad Horatium: ad nos pertinent. pertinent ad Grammaticum. In uerbis.) Primum præceptum. Serendis.) Faciendis. Sic dicunt interpretes qui scripserunt in Horatium ut sit serendis: à sero seui satũ, metaphora sumpta ab agricolis: qui iaciunt sua semina in solum subactum, ut faciant scilicet nouas segetes, noua grana: & hac de caussa dicunt interpretes, in uerbis serendis, id est, faciendis. Sed potest etiam deduci à Sero serui sertum. Serere enim est texere.

connectere. Serere flores & frondes, est connectere flores: componere flores atque frondes, ut sertum poeticum facias: inde à sero serui, sertum dicitur, id est, corona florum: & hæc metaphora mihi magis placet. Serendis.) Contexendis, ut possis efficere sertum poeticum: poeticam corollam: poeticum quasi ornatum & ornamentum. Tenuis.) Frugalis, parcus, non profusus, non effusus, non copiosus nimium. Cautus.) Oportet nos uerba æstimare ut nummos. qui uult discere quomodo uerba & nomina eligenda, eat ad fœneratores, & discat ab ijs quomodo nummi eligendi. quemadmodũ oportet parcius uti nummis: sic etiam bonum Oratorem decet uti parcè ipsis uerbis. Dixeris.) Poetæ dicuntur canere: dicuntur etiam dicere: Dic mihi Musa uirum &c. Dixeris.) Poema egregium feceris: uersum in poemate feceris egregium: metrum egregium. Si iunctura.) Hoc in loco est homonymia. Iunctura enim primò significat uerba συνθετὰ, id est, cõpositá, ut à uersutus & loqui, dicitur uersutiloquus, qui in loquendo est uersutus: à pectus & ex: expectorare. II. Verba σύζυγα id est, coniugata: ut à mergo fit mergere, mersi, mersum. A mersum supino fit merso, mersas, mersare. A merso fecit Horatius in mersabilis lib. I. epist. 2. Sic uerbum nouum factum est ex iunctura rerum: ex numero uerborum, quæ sunt coniugata. Mergere, mersum, merso, im-

mersa-

mersabilis, sunt coniugata. ergo in coniugatis quoque possumus inuenire nouitatem: & ex coniugatis uerba noua facere. III. Significat iunctura σύνταξιν, id est, constructionem seu consecutionem ut uocat Cicero. quemadmodum Horatius dicit, Indociles pauperiem pati. hic duplex est nouitas. I. à docilis indocilis. II. Indociles pati, est Hellenismus. nouus loquendi modus: noua uerbi inflexio. Sic alio in loco inquit. Vt melius quicquid erit pati. melius pati: ille ἀόριστος habet nouitatem: nouitatem orationis. Pati.) Vt melius patiaris ut melius pati possis. Quicquid erit.) Aduersi accidet. Ego in istis præceptis libenter amplector uerba ista quæ sunt homonyma. & sic per Iuncturam ego σύνθεσιν, συζυγίαν, σύνταξιν etiam intelligo. Callida,) Artificiosa, ingeniosa: habens admirationem subtilitatis, calliditatis, id est, subtilis & callidi poetæ. Callida.) Quæ indicat scriptorem callidum, prudentem, sapientem, subtilem. Sic oportet oratorem & poetam non solùm in sententijs prudentem esse, sed etiam in ipsis uerbis. D. Paulus & reliqui apostoli non solùm sententias habent subtiles, sed etiam propriè utuntur rerum uocabulis. Notum,) Vsitatum, uulgatum, receptum, siue proprium siue translatum, qualecunque sit. Nónne scimus quid sit arare: quid sit aratum iugerum: quid sit exaratum iugerum: ueteres tamen exarare pro scribere usurparunt. illa est

uetu-

uetusta, nõ amplius noua metaphora. Nouum.) Triã sunt uerborum genera præcipua. I. Verba natiua, quæ sunt propria rerum, sunt significata sensu: hæc nascuntur cum rebus, ut lapis, Iaspis &c. II. Verba translata, quæ inopia linguarum latinæ & græcæ peperit: hæc sunt noua tractatione, cõuersione uerbi & figura. ac ita usitata, ut uideantur nata cum rebus. ut audire pro cognoscere: sentire pro intelligere: saxum pro homine stupido. Propria uocantur ἰδία à Grammaticis: ab Aristotele πεφυκότα id est, λέξεις κατὰ φύσιν. Verba translata uoco ea, quæ Hermogenes uocat τετραμμένα. & λέξεις τετραμμένας: uerba conuersa quæ habent tropum. per tropum intelligo nõ solùm metaphoram, uerum etiã hypallagen, περίφρασιν, κατάχρησιν, συνεκδοχήν: omnes huiusmodi tropos Aristoteles sub uno uocabulo Translatorũ cõprehendit. Propria sunt uniusmodi, nata cum rebus &c. Translata sunt duplicia. quædam enim sunt tanquam propria: nõ sunt inuenienda, sed inuenta. quædam sunt noua, quibus tu solus uteris, quæ tu solus inuenisti. III. Verba πεποιημένα facta ab Oratore & poeta, imò magis à poeta. poetarũ enim est facere: poetæ plus habent licentiæ quàm reliqui scriptores. Sed non solùm prudentem esse decet Oratorem in uerbis faciendis: uerum etiam poetam. De proprijs hoc loco nihil peculiariter præcepit: nec etiam de translatis usitatis: sed de nouis, factis scilicet ab

ipso

ipso poeta. Si fortè necesse est.) Ostendit quando *uerba noua facienda: tum uidelicet, cùm res est noua.* Res *nouæ, noua requirunt indicia, nouas notas, noua uocabula.* Nos *longè alios habemus aricres, quàm ueteres: alias habemus baliſtas: alias fundas: oportet igitur in his rebus nouis, noua nomina inuenire. Si urbem uelles oppuguare, & diceres militi, adfer mihi fundam: miles non intelligeret quid uelles. oportet te loqui, ut miles intelligat quid ſit machina manuaria, quid præliaris, quid muraria, quid ſerpens, quid crocodylus. Sed dicat aliquis, nónne natiua uocabula ſunt retinenda? maximè ſunt retinenda ubique & omnibus in locis:* Sed *noua etiam facienda.* I. *propter nouitatem rerum.* II. *propter inopiam. Semper uno & eodem uti uocabulo parit faſtidium: inopia itaque cogit te, ut utaris uel nouis, uel translatis: conſuetudo bonorum ſcriptorũ oſtendit, quomodo ex uno poſſis facere plura uocabula.* III. *Cùm res eſt obſcœna, inuiſa, iniucunda.* Obſcœna *melioribus uocabulis oportet nos abſcondere. Sic quædam epigrammata* Martialis *habent quoſdam uerſus, quos quis non auſit enunciare in choro uirginali, niſi in ijs caſtis utatur uerbis.* Indicijs.) Notis. *non potuit hoc loco dicere, uerbis, nec uocabulis. uerſus enim non conſtitiſſet. potuiſſet dicere nominibus. Sed nomen eſt nimis notum: Indicijs uerò eſt uocabulum literatum: ſapit artem: eſt philoſophicũ.*

Philo-

philosophi enim dicunt uocabula esse signa seu indicia τῶν διανοίας. Abdita.) Res in natura rerum reconditas. *Abdita duplici ratione dicuntur: propter naturam alia: alia quæ in nostro animo, seu in cogitationibus animorum nostrorum sunt occultata, nobis uerò cognita. hæc sunt proferenda, ut alij intelligant. Fingere.)* Conformare, χηματίζεσθαι: *est metaphora sumpta à figulis, qui è luto aliquid fingunt: Non exaudita.)* Quantum ad homines, *uocabula quædam sunt latina apud* Romanos: *quædam græca apud græcos. Deinde alia uocantur* Ethnica *siue gentilia, id est, certarum gentium & nationum. Gentes enim quasdam res peculiares habent: & propterea, peculiaria etiam rerum illarũ uocabula quæ ab Hermogene nominantur ἐθνικὰ ὀνόματα. Postremò quædam uocantur τεχνικὰ. Sic agricolæ: fabri lignarij: tonsores: omneq; genus opificum & artificum suas quasdam habet uoces, id est, dictiones quæ uocantur τεχνικὰ λέξεις. Quemadmodum autem licet artificibus fingere nouas rerum figuras: Sic etiam scriptori licet noua nomina facere, & abdita rerum, nouis indicijs monstrare. Cethegis.)* Primis Romanis: *priscis illis latinis, qui uixerunt bello Punico primo, secundo: qui uixerunt tempore Plauti. Hi si redirent: & uerba ignorarent, & res non noscerent. Cinctutis.)* Qui cingulo utebantur militari: *ego puto hic intelligi Cethegum, oratorem*

illum

illum facundissimum, qui uixit tempore Africani maioris. cuius & Cicero meminit in Bruto. Cinctutis.) Cinctutum alij deducunt à Cinctu: alij faciunt epenthesin, ut sit Cinctutus pro cinctus, sicut induperator pro imperator. non reprehendo eos qui deducũt à Cinctu: nec eos qui dicunt esse Epenthesin. Cinctutis pro cinctis ego retineo. Erat autem Cinctutum genus tunicæ, quod ligabatur infra pectoralia. quidam Cingulum putant esse mulierum. ego cingulum uoco militare. Est uocabulum nouum ex ueteri usurpatum. Contiget.) Vsus est uerbo græco ἐνδέχεται potest fieri, potest usu uenire. Pudenter.) raro: cum pudore: cum significatione pudoris atq; uerecundiæ. quomodo autẽ uerecundia illa concilietur, ostendit Quintilianus. Ostendemus uerecundiam confitendo: dicemus nouum uerbũ esse: à nobis factum: dicemus, ut ita dicam, ut nouo uocabulo utar. Si licuit Romanis, me hercule, dicere: cur non liceret nobis dicere, me Christe. possumus noua uerba facere, modo rationem aliquam reddamus, ut appareat uerecundia. per uerecundiam intelligo parsimoniam: est Metalepsis. Et noua.) Duo sunt genera nouorum uerborum. I. cum rebus nouis, noua fingũtur nomina, imitatione scilicet. Romani habebant suos arietes, balistas, fundas & alia instrumenta militaria: illa omnia nostris sunt abdita temporibus: nos habemus arma militaria, humeralia, manuaria,

nuaria, muraria, machinas præliares &c. In eusmodi rebus noua nomina inuenire nos oportet. quapropter si licuit Græcis nominare naues ex similitudine rerum: cur non nobis idē in alijs liceret: cur machinas præliares non nominaremus serpentes, crocodylos &c. Alterum genus nouorū uerborum sumitur à Græcis. Inter λέξεις ἐθνικὰς gentium & nationū, uocabula nulla meliora sunt, quàm Græca. Verba.) In uerbis sunt spectanda. I. ἡ δύναμις: proprietas: potestas, significatio. II. Autoritas, ut habeant pōdus: ut sint grauia, significantia ipsam rem grauiter & cū autoritate. Fidem.) Pondus & autoritatem: pondus in significando: autoritatem in delectando, in persuadendo. Vt autem benè posītis iudicare de uerbis ueteribus & nouis, sequentia præcepta obseruanda sunt. I. Verba uetusta autoritatem antiquitatis habere, id est, propter antiquitatem: sed intermissa, id est, non ab omnibus, uel à paucis usurpata, & propterea quasi intermissa, habere gratiam nouitatis. Sic cinctutis est uocabulum antiquum hoc in loco gratiam habet nouitatis: delectat propter nouū usum. II. Inter uerba noua optima esse quæ sunt uetera, utpote illa esse optima. quæ nata sunt temporibus Ciceronis. beatitas noua fuit uerbi formatio tempore Ciceronis: & propterea iam bonum uerbum, quia uetus. III. Vetera uerba esse quæ sunt maximè noua, id est, nata postremis

bonis

bonis temporibus. Si uultis uti nouis: ijs utimini, quæ nata sunt tempore Ciceronis: Cornelij Celsi, Plinij, & ueterum, qui his sunt proximi. puriorem tamen scriptorem Cornelio Celso, post tempora Ciceronis non uidi. IIII. *Verbum nouum uitandum esse tanquam scopulum. Quare uitamus scopulum propter iacturam uitæ. Cur uerbum nouum uitare debemus tanquam scopulum? propter iacturam laudis & existimationis. quapropter cum nouis uti necesse erit, oportet nos Vlyssem ligare ad malum: oportet nos contemnere uocem uulgi, & proferre aliquod nouum uocabulum in medium.* V. *Et postremum præceptum est contra antiquarios, id est, eos qui nimis studiosi sunt antiquitatis: de quibus recte Quintilianus lib. I. Institutionum oratoriarum Cap. 2. Ridiculum est malle sermonem, quò loeuti sunt homines, quàm quo loquuntur, id est, malle uti antiquato, quàm sermone usitato, quàm sermone consuetudinis quotidianæ. Bonum poema ex sermone quotidiano, seu ex ipsa cõficitur consuetudine:*

Arma virumq; cano: Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit
Littora. multum ille & terris iactatus, & alto
Vi superum, sæuæ memorem Iunonis ob iram.
Multa quoq; & bello passus, dum conderet urbem,
Inferretq; Deos Latio: genus unde Latinum. &c.

Omnia ista quotidiani sunt sermonis. Quis est sermo quotidianus, seu consuetudinis? consuetudo sermonis

uocatur consensus eruditorum. non oportet nos loqui, ut piscatores loquuntur, ut coqui, ut nautæ, ut mercenarij homines: sed ea eligere oportet, quæ placent eruditis. si uis loqui secundum consuetudinem, loquere secundum consuetudinem eruditorum. si uis uiuere secundum consuetudinem: uiue secundum consuetudinem bonorum. Cadant.) Deriuentur: Si à Græcis deriuata. Detorta.) Inflexa, deflexa à sua origine. Parcè.) Modicè. Duplex est uia persequẽdi uestigia græca. Vna uertendo, cum græca uertimus latinè, ut si εὐδαιμονίαν uoco beatitatem: προηγμένα, producta: ἀποπροηγμένα, reiecta: græcum est in his uestigium, factum interpretatione. Altera uia est, græca non interpretando, sed retinendo: ut cum τρικλίνιον uocamus triclinium: ἡμίκυκλον, hemicyclum: καθέδραν, cathedram, utentes scilicet nominibus ipsis Græcis, & hoc est, quod hoc loco dicit: Si Græco fonte cadant, parce detorta. Græci dixerunt Ὀδυσεύς. Latini modicè detorserunt illud uocabulum Δ in λ, & ο mutantes in u: ac dixerunt Vlysses. Quid autem Cecilio.) Hactenus oratio subtilis, breuis, concisa: sequitur iam pannus purpureus Horatianus. quo ostenditur quomodo res paruæ possint amplificari. Dixit ante, licere aliquando uerba noua facere: iam probat hoc oratione locupletiori. & primo utitur exemplis. Si, inquit, Cæcilio, Plauto, Catoni, Ennio licuit: cur nõ Virgilio, Vario & mi-

bi liceret. deinde exornat id ipsum similitudine, & facit breuem digressiunculam in laudem Augusti & Iulij Cæsaris. Postremò redit ad rem, & dicit, licere noua uerba facere. Quid.) Potestatis. Dabit.) Cõcedet. in nouis uerbis faciendis, in uouis rerum uocabulis cudendis. Ademtum.) quod recusęt Virgilio, Vario, & nostrorum temporum Poëtis. Inuideor.) Cur mihi inuidetur: cur inuidia trahor: cur inuidia premor. Inuideor nouum est uerbum, non inuentione, non origine, sed χρηματισμῷ παθητικῷ. ponitur enim inuideor pro inuidetur mihi. Cum lingua Catonis.) Hactenus Cæcilij & Plauti: nunc Catonis & Ennij exemplo confirmat, licere noua uerba facere. Sunt paradigmata geminata. Patrium.) Latinum. Ditauerit.) locupletauerit. Licuit.) Hactenus facta πίστις exemplis geminis. I. Cæcilij & Plauti. II. Catonis & Ennij. nunc sequitur ἀναπάλιψις, id est, renouatio ipsius propositionis. Licuit.) Vt oratoribus sic poëtis, sed tamẽ magis poetis. Producere.) In medium proferre. Nota præsente.) nota præsentis cõsuetudinis: Est hypallage. nomina enim sunt notæ rerum. dicit nomen notari: cum debebat dicere rem notari. Vt syluæ.) Hoc loco sequitur similitudo duplex: una à syluis: altera à iuuentute sumpta. Pronos.) Pronos uocat hîc uolubiles annos: metaphora sumpta ab euntibus: ab ijs qui celeriter proficiscuntur: ab ijs qui proni & erecti incedũt. Vetus.)

Veterum uerborum. Interit.) desinunt usurpari. Debemur.) Est ornatus argumentosus: uestitus rei proprius. dixit antea, Licuit, semperq; licebit, Signatum præsente nota producere nomẽ. idq; exemplis ostendit: hoc loco idẽ exemplis declarat. Nostraq;.) monumenta: opera manuum nostrarum. hoc probat cum laude, cum honorifica memoria C. Iulij Cæsaris & Octauij Augusti. Neptunus.) Mare receptum terra. portusc. quodam Iulio. Palus.) Pontina. Sterilis.) Quia palustris: quia arare, seri, coli non poterat. Amnis.) Tiberis. Cursum.) Alueum. Augustus Cæsar coëgit Tiberim in alium alueum ingredi. Mortalia.) Hæc conclusio est generalis. Stet.) Permaneat. Viuax.) Immortalis, Si res pereunt: oportet uocabula perire. Si in locum rerum ueterum substituuntur res nouæ: cur non etiam uerba noua. Multa renascentur.) Verba non posse esse uiuacia ostendit, explicat, & demonstrat. Multa.) Vetera. Cecidere.) Non sunt in usu. Verbum antiquatum sæpè renouatur: quemadmodum exarare antiquatum uerbum, renouatum est à Cicerone, ut & alia plurima. Vsus.) Sc. quotidiani sermonis: consuetudo doctorum. Romani, temporibus Quintiliani & Plinij, cœperunt barbarè loqui. Vsum itaq; non uulgi sequi debemus: non oportet nos usum æstimare consuetudine uulgi, sed iudicio & arbitrio doctorũ uirorum Sicut enim in uita bene instituenda, boni,

non

non mali sunt imitandi: Sic ab eruditis discendum, quid usurpari debeat, quid antiquari. Arbitrium.) Autoritas. Loquendi.) Sermonis, uerborum.

TEXTVS.

Res gestæ Regumq;, Ducumq;, & tristia bella
Quo scribi q· ossent numero, monstrauit Homerus;
Versibus impariter iunctis querimonia primùm,
Post etiam inclusa est uoti sententia compos.
Quis tamen exiguos elegos emiserit auctor,
Grammatici certant: & adhuc sub iudice lis est.
Archilochum proprio rabies armauit iambo.
Hunc socci cepere pedem, grandesq; cothurni
Alternis aptum sermonibus, & populareis
Vincentem strepitus, & natum rebus agendis
Musa dedit fidibus, Diuos, pueros q; Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas, & libera uina referre.

SCHOLAE.

Diximus in arte poëtica sex esse spectanda: I. τὸ μῦθον, *id est, fabulam ipsam.* II. τὸ ἦθος, *id est, ingenia & mores personarum.* III. τὸν διάνοιαν: *genus sententiarum: dogmata & instituta personarum: sententias de rebus bonis & malis.* IIII. τὴν λέξιν, *id est, ipsa uerba: genus dicendi: uerborum & sententiarum ornamenta: sententiarum formulas: modos loquendi usitatos, ueteres & nouos.* V. τὸν μελοποιΐαν, *cantum ipsius chori & tripudia.* VI. τὸν ὄψιν, *instrumenta. De his omnibus Horatius præcepta tradit, ordine tamen paululùm inuerso. Sed quid cantus & instrumenta ad poëtam, cum in*

poëmate nõ appareant: poëtarum tripartitum erat officium. I. *conficere carmina:* ποιεῖσθαι τὸν ποίησιν. *unde & dicta* ποίησις. II. διδάσκειν, *id est, docere histriones: tibicines: ipsos choros. histriones agere: tibicines canere: chorum saltare, & simul etiam canere, lamentari &* c. III. *erat finis, peruenire* &c. *ad illud,* Vos ualete & plaudite. *Hæc igitur est causa, cur de pulpitis, de apparatu scenico præcipiat: cur ostendat, quibus personis, quo genere uestium, quo genere cantus, quo motu utendum. Hactenus autem de fabula: de genere dicendi,* περὶ τῶν λέξεων, *seu* περὶ τῶν ὀνομάτων. *hoc loco res cum uerbis coniungit, & ostendit quæ materiæ quibus generibus carminum conueniant: quæ res, quibus poëtis: & hæc ad præcepta* λέξεως *pertinent. est enim poëtarum uerba componere. licet autem oratores etiam habeant uerborum* σύνθεσιν: *tamen ea non est numeris astricta seu alligata, ut poëtarum, sed soluta & libera. quod igitur hoc loco præcipit, proprium est poëtarum.* Res gestæ.) Præclaræ. Regum.) Imperatorum. Ducum.) Illa omnia sunt magna: res gestæ regum. res gestæ ducum: tristia bella. & hoc dicit propter Imperatores Romanos: propter duces Carthaginenses: propter Camillum: propter Iuliũ Cæsarem: & similes. quo numero.) Quo genere carminis: quo metro. carmen hexametron materiã habet res gestas à regibus, à ducibus: habet tristia

bella.

bella. Homerus *monstrauit*.) *Videtur in hoc loco* Horatius *autorem facere* Hexametri *carminis* Homerum, *cum tamen ante* Homerum *etiam fuerint poetæ* Epici. *Sed puto ita intelligendum: & si* Homerus *non primus inuenerit carmen* Heroicum: *elegantius tamen tractasse quam cæteros qui antè extiterint.* Versibus *impariter*.) *Ostendit materiam elegiaci carminis, esse res tristes & lætas*. Sic Ouidius *elegiaco carmine scripsit de tristibus: scripsit item elegiaco carmine de* Amore Querimonia.) Querelæ, *res tristes*. Sententia) Cogitatio *hominis*. Compos *uoti*.) Rei *optatæ. per sententiam uoti compotem, ostendit rem lætam. homines enim læti sunt postquam uoti compotes euaserunt*. Archilochum.) *Ostendit* Iambici *carminis inuentorem* Archilochũ. Sic *quidam intelligunt hunc locum, quod uidelicet sit proprium* Archilochi. Alij *intelligunt per proprium, peculiare genus carminis, quasi alij etiam id ipsum inuenerint, sed* Archilochus *habuerit peculiare: cuiusmodi est* Scazon, *quod ultimam habet productam, & magis est insectatorium, uehementius & grauius quam reliqua. possumus errare in laude inuentionis, in re non possumus*. Sciamus *itaq; quod* Iambicum *sit commune carmen* Comicis *& tragicis scriptoribus*. Rabies.) Ira, *iracundia*. Proprio.) Peculiari *quodam genere*. Hunc.) Materia *tragœdiæ & comœdiæ*. Socci.) Comici . Cepere

pedem.) Ex hoc pede fecerunt sua metra confecerũt sua carmina Iambica. Cothurni.) Tragici. Sermonibus.) Colloquijs, actionibus. Alternis.) Habẽtibus responsionem & interrogationem. Iambus est maximè idoneus colloquijs hominum. Sermo enim quotidianus maximè ex Iambis conficitur. Strepitus.) Clamores populares. clamores uulgi. Vincentem.) Si benè recitatur à tragœdo uel comœdo. tum enim populus tacebat, & nullum strepitum excitabat. Rebus agendis.) τοῖς δράμασι τῆς ποιήσεως, comœdiæ & Tragœdiæ habent sua δράματα, suos habent actus. actus autem continent rem agendam aliquam integram. Fidibus.) Lyricis carminibus. Diuos.) Materiam Lyricorum carminum ferè omnem, apud Horatium habetis lib. I. Carm. ode .12. incipit enim in ea à Ioue, peruenit deinde ad Palladem, ad Liberum &c. & postremò desinit in Iulio Cæsare. Iuuenum curas.) De his habetis in ode V. ad Pyrrham. Vina libera.) in quibus summa libertas est.

TEXTVS.

Descriptas seruare uices, operumque colores,
Cur egó, si nequeo, ignoroque poeta salutor?
Cur nescire pudens praue, quam discere malo?
Versibus exponi tragicis res comica non uult.
Indignatur item priuatis, ac propè socco
Dignis carminibus narrari cœna Thyestæ.
Singula quæque locum teneant sortita decenter.

Inter-

Interdum tamen & vocem Comœdia tollit:
Iratusque Chremes tumido delitigat ore.
Et Tragicus plerunque dolet sermone pedestri.
Telephus, & Peleus, cum pauper & exul uterque
Proijcit ampullas, & sesquipedalia uerba:
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

SCHOLAE.

Quoniam decorum seu τὸ πρέπον spectari solet in omnibus partibus comœdiæ: poeseos: artis: in omni deniq; sermone: Horatius hoc loco præceptum de decoro tradit, quod complectitur ista. I. τὸ ἦθος indolem & naturam hominum ac personarum. hæc enim maximè exprimenda & imitanda. II. τὰς ἕξεις, id est, omnes habitudines corporis: exercitationes confirmatas, & diuturno usu perpetuatas. habitus autem complectitur etiam τὰ πάθη, id est, passiones. à quibus duobus proficiscuntur actiones: quarum aliæ sunt actiones boni uiri: aliæ mali: aliæ prudentis: aliæ imprudentis &c. In his omnibus oportet poëtam seruare uices descriptas, & operum colores. Per uices descriptas, intelligit Horatius partes & officia arte tradita. ars enim ostendit, quæ actiones: qui sermones: quæ uoces: qui uultus, quam deceant naturã: quod genus hominum: quam ætatem: quem heroa, Acchillémne an Hectorem, an Thyesten &c. oportet igitur poëtam sciré, arte traditas uices, id est, uicarias actiones. ipse enim poëta, tragœdi & comœdi uices agit, & uicarium sermonem recitat. Chro-

metis, Simonis, Dauí &c. Per colores operum, intelligit rationes: consilia ipsarum actionum: ornatus etiam rerum gestarum. Sic alius sermo in principio comœdiæ adhibendus: alius in progressione: alius in medio: alius in fine. alius sermo Chremetem: alius Simonem: alius Dauum: alius Acchillem: alius Hectorem decet. Descriptas.) Reprehensio eorum, qui poëtæ uolunt salutari, id est, in salutando poetæ appellari, cùm tamen seruare nequeant uices descriptas. Cur nescire.) Reprehensio altera eorum, qui artem contemnunt. Prauè.) Inepte uerecundus: propter ineptam uerecundiam propter prauum pudorem. Quam discere.) non est turpe discere: sed turpe est ignorare. Si ignoras descriptas uices: lege præcepta τῶν δραμάτων: audi poëtam qui tradit hanc artem. Versibus tragicis.) Tragœdia & comœdia unum habent commune, genus scilicet carminum. Comici enim utuntur Iambico, Tragici etiam, siue illud sit dimetrum, sine trimetrum, siue tetrametram: trimetra tamen græcis sunt frequentiora. Comœdia igitur & tragœdia commune habent iambicum carmen: sed differunt uersibus, id est, sententijs uersuum: sententijs quæ uersibus comprehenduntur: ornamentis uerborum & sententiarum: dicendi genere quod in uersibus latet. Tragici habent tragicos uersus: Comici, comicos. Comicum dicendi genus est uulgare: Tragicum est grande, est graue genus.

Res.)

Res.) Argumentum: ipsi actus comici: comicorum πράγματα nolunt exponi tragico dicendi genere. Cœna.) tragœdia Thyestæ. Indignatur.) Non uult, recusat cum stomacho. est metaphora habens ἐμψύχωσιν. cœnæ enim tribuit mentem & animum. Priuatis.) Humilium hominum carminibus. priuatos uocat, quos Græci Idiotas, cuiusmodi sunt Chremes, Simo, Dauus &c. Socco.) Comicis carminibus. Singula.) Singulæ res & singulæ personæ, ut Atrei uxor stuprata ab ipso Thyeste: Thyestæ filius laceratus, coctus, & propositus Thyestæ ab Atreo fratre. stuprum illud nefandum: parricidium crudele: facinus inauditum & nefarium: illa singula, inquã: singulæ illæ actiones: singuli actus: singula πράγματα suis debent collocari partibus. aliud est agendum cum ancilla loquitur: aliud cum Thyestes, & sic de reliquis. Interdum tamen.) Oportet esse interdum remissionem τῦ λόγυ: interdum amplificationem genere dicendi. In tragœdijs & comœdijs non possunt esse perpetui clamores: non possunt esse perpetuæ lachrymæ. suas enim habent tragœdiæ & comœdiæ agnitiones: aliter loquuntur homines cum rem ignorant: aliter cum eam cognorunt. caussa actionum in comœdijs & tragœdijs est ignoratio. Pamphilus in Andria Terentij, putat patrem seriò cogitare de nuptijs. Sic Pamphilus errat, timet, irascitur, propter ignorationẽ. post sequitur cognitio. Vix drach-

mis

mis obſonatus eſt decem. Habent item comœdiæ & tragœdiæ ſuas conuerſiones. poſt diuortium ſequitur matrimonium: poſt iram patris, patris amor & beneuolentia: poſt odium filij charitas. cum huiuſmodi ſunt cognitiones, tum tollit Comœdia uocem, id eſt, genus dicendi, genus orationis. Illa exclamatio apud Terentium: ô cœlum: ô terra, non eſt comica, ſed tragica. Tollit.) Hoc loco non ſignificat aufert: ſed auget & amplificat. Chremes.) Comica perſona, comicus actor aliquis. Plerumq;.) Non ſemper clamat: ſæpè remittit ſuum ſermonem. Apud Sophoclem in principio Aiacis, modeſtus eſt ſermo Mineruæ: ſed alius ſermo eſt, ubi furorem diſſimulat. Pedeſtri.) Humili: ſermone quaſi comici. Telephus.) Oſtendit ubi debeat eſſe humilis oratio. Pauper.) Telephus enim, Herculis filius, aui iuſſu expoſitus: à cerua, unde & nomen accepit, educatus creditur. Is in cunis nihil loquitur, ſolum uagit, educatur à cerua, ſeu potius, ab ipſis paſtoribus, adhuc infans: & dũ eſt in exilio, modeſtè loquitur: loquitur cum paſtoribus, ut cum amicis, ut cum æqualibus: ubi uerò incipit animum adijcere ad recipiendum regnũ: ubi idipſum aggreditur: ubi res adminiſtrare incipit: alij ſunt eius ſermones. Exul.) Dum exulauerat uterq;. De Telepho iam dictum. Peleus propter fratrem Phocum occiſum, exul fuit Trachinæ in ciuitate

uitate Theſſaliæ. Proiſcit.) Contemnit, reiſcit, non uſurpat. Ampullas.) inflatam, turgidam orationem. Seſquipedalia.) Longiſſima: compoſita uerba. eſt metaphora anceps. uidetur loqui quaſi de pedibus fabrorum, duodecim unciarum. Sed loquitur hoc in loco de pedibus poetarum: de uerbis unius pedis & dimidiati: de uerbis quæ faciunt pedes compoſitos. Curat.) Si ſtudet. Cor.) Animii ſpectantis in theatro. Tetigiſſe.) Si uult mouere ſpectatorem, oportet ut aliter loquatur cum exul eſt, aliter regno recuperato.

TEXTVS.

Non ſatis eſt pulchra eſſe poemata: dulcia ſunto:
Et, quocunq; volent, animum auditoris agunto.
Vt ridentibus arridet, ita flentibus adſunt
Humani vultus, ſi vis me flere, dolendum eſt
Primum ipſi tibi: tunc tua me infortunia lædent,
Telephe vel Peleu, malè ſi mandata loqueris,
Aut dormitabo, aut ridebo. triſtia mœſtum
Vultum verba decent: iratum plena minarum:
Ludentem, laſciua: ſeuerum, ſeria dictu.
Format enim natura prius nos intus ad omnem
Fortunarum habitum: iuuat aut impellit ad iram:
Aut ad humum mœrore graui deducit, & angit:
Poſt effert animi motus interprete lingua.
Si dicentis erunt fortunis abſona dicta:
Romani tollent equites, peditesq; cachinnum.

SCHOLAE.

Oſtendit poematis boni duas eſſe uirtutes, pulchritudinem ſcilicet & ſuauitatem. Pulchritudo

ſpectatur

ſpectatur in eo, ut placeat aſpectu, ne uidelicet magnitudine ſit in modicum. Deinde, ut benè compoſitum ſit ſuis actibus, qui πράγματα uocantur: ut diſtinctum ſit ſuis ſcenis, id eſt, partibus agentium & loquentium, quæ uocantur ſcenæ: ut pulchrum ſit prologo, epiſodio, exitu & chorico. Dulcedo ſeu ſuauitas poematis continetur in ipſa fabula: in ipſis actionibus, quarum aliæ alijs iucundiores ſunt & ſuauiores. Eſt aliquid Aiacem ante furorem benè ſapere: ante furorem benè loqui: placet enim illa oratio ſpectantibus, & habet ſuauitatem. Cùm uero furor eſt: cædes uaccarum atq; taurorum: cruentatum corpus Aiacis: alia eſt res: eſt ibi quod afficiat ſpectatorem. Et ſic illæ conuerſiones actionum & fortunarum ſunt dulces. Sed Ariſtoteles uult dulce eſſe non διὰ τὰ πράγματα: διὰ τὰ ἔργα: non propter res geſtas: non διὰ τὰς πράξεις: ſed διὰ τὸν λόγον. oratione uult dulce eſſe ipſum poema. Eſt igitur oratio dulcis ea, quæ eſt ἠθικὴ id eſt morata, in qua mores ſunt expreſſi iuuenum, uirorum, ſenum, mulierum, matrum, nutricum &c. II. ea quæ eſt παθητικὴ: quæ habet motum animorum: quæ habet τὸν διάνοιαν, id eſt, ſignificationem mentis, ingenij, inſtitutæ uitæ: in qua ſenſus perſonarum exprimitur, id quod quinq; fit modis iuxta Ariſtotelem: πρότασει uidelicet ἀποδείξει: λύσει: παρασκευῇ τοῦ πάθους, & παρασκευῇ τοῦ μεγέθους,

πρότασις

πρότασιν. Regum & Tyrannorum miserabilis exitus. ἀποδείξει. Ad generum Cereris, sine cæde & sanguine, pauci. Descendunt rege, & sicca morte tyranni. λύσει: Nihil est quod ab Acaco sumo principium, aut ab Hercule, aut ab ipso etiam Ioue. Ante obitum enim nemo supremáq; funera dici debet beatus. παρασκευῇ τῷ πάθους: καὶ μεγέθους: cùm orationem facimus miserabilem: cum causam eiulatus ostendimus: cum miseriam aperimus, roganus, precamur: cum utimur similibus comparationibus, exemplis. III. fit etiam ἁρμονίαν λόγος harmonia & rythmo, quorum illud consideratur in accentu: acuto, graui & circumflexo: hoc in compositione: in genere ipsorum uersuum: in dimetris: in trimetris &c. IIII. fit quoq; dulcis sermo cantu choris tibicinum, musicorum. Sed tria priora ἦθος, πάθος, harmonia & rythmi solum apparent in poemate. cantus in scenam affertur ab ipsis tibicinibus, musicis, choro. poetæ enim non est modos facere, sed tantum præcipere. modos fecit Flaccus, habetis apud Terentium. Pulchra.) Magnitudine. Dulcia.) Genere orationis. non solum actione & rebus gestis: uerum etiam tractatione uerborum & sententiarum. Agunto.) uim habeant impellendi animum auditoris ad quemcunq; motum animorũ. Duæ sunt propositiones hoc loco, quarũ posteriore declarat priorem. Vult dulcia esse poemata: in pri-

mis

mis uerò παθητικὰ. Vultus.) Ora spectantium. Si uis.) ἐνθυμονῦ in eodem argumento: progreditur autem ab infinito ad finitum: ab uniuersali ad singulare: & pertinet hoc præceptum non solum ad poetam, sed etiam ad comœdum & tragœdum. Me.) Meum uultum. Dolendum.) in ipso carmine: in genere uerborum & sententiarum. Tunc.) si fleas. Infortunia.) exitus miserabiles. Lædent.) Commouebunt: offendent animum meum magno dolore. Telephe.) Manet in eadem re mutata persona. primum dixit humani uultus: deinde Me: iam adfert Telephum filium Herculis: expositum à matre: lactatum à cerua: enutritum à pastoribus: adfert etiam Peleum exulem in Thessalia, propter fratrem Phocum occisum. Mandata.) Est metaphora sumpta ab histrionibus, ab actoribus. actores enim docebantur à poetis, per mandatum histrionis, intelligit mandatum seu officium scriptoris: quod debet in personis illis exprimendis obseruare. Loqueris.) Ages, pronunciabis. Tristia mæstum.) quarta pars ἐνθυμονῆς in eadem re: habens distributionẽ breuissimam. Format.) Tria spectãda in decoro. Res: ἤθος: πάθος de rebus hactenus. ho. inloco sequitur ἦθος. id est naturalis indoles: informatio naturæ, naturæ ingenium. Format.) Instituit, moribus scilicet. Intus.) In animo, in mente nostra. Habitum.) affectionem; exercitationem fortunarum.

uirtus

uirtus enim consistit in agendo: uirtus est πρακτική, est actuosa. natura nos format ad omnem susceptionem: ad patientiam rerum fortunatarum: ad patientiam etiam rerum aduersarum. Iuuat.) *Sequitur oratio παθητική.* Iuuat.) *placat: lenit: liberat ab ira.* Impellit.) *Natura facit homines iracundos, facit etiam lætos.* Humum.) *Ad summam tristitiam.* Post effert.) *Ipsa natura.* Motus.) *τὰ πάθη τῆς ψυχῆς παθητικὸν λόγον.* Interprete lingua.) *Sermone: oratione: indicijs, quæ notæ sunt rerum.* Si dicentis.) Hactenus res: *ἦθος & πάθος: quæ omnia tractata sunt duabus propositionibus & uarijs rationibus: hoc in loco est conclusio acuta, nouo scilicet subiecto & nouo prædicato. Subiectum prius erat.* Si uis me flere, dolendum est primum ipsi tibi. huius loci subiectum est. Si secus fiet, Romani equites & pedites tollent cachinum. Dicentis.) Actoris. Romani.) *Omnes Romani qui pedites & equites uenerunt ad spectandum.* Tollent cachinum.) Ridebunt.

TEXTVS.

Intererit multum Dauusne loquatur, an heros:
Maturus ne senex, an adhuc florente iuuenta
Feruidus: an matrona potens, an sedula nutrix:
Mercatórne uagus, cultórne uirentis agelli:
Colchus, an Assyrius: Thebis nutritus, an Argis.

SCHOLAE.

De rebus iam dictum: eas uidelicet primum æsti-

mari oportere: ijſq; conſentaneos adhibendos animorum motus: conſentanea uerba: conſentaneam orationem. nunc illuſtrat primũ præceptum: Deſcriptas ſeruare uices. fuit enim hoc poeticum theorema: Oportet ſeruare uices, id eſt, officia perſonarum. Erant hiſtriones qui primas: erant qui ſecundas: erant etiam qui tertias agebant, &c. Illas uices igitur ſeu potius officia ſingularum partium, & perſonarum in ipſa tragœdia & comœdia, hoc loco perſequitur: & quatuor in perſonis conſyderanda docet. fortunam & conditionem: Vices ætatum: genus uitæ: diſcrimen regionum & nationum. Dauúſne.) Aliter enim Dauus in Andria de Simone loquitur: aliter Pamphilus. ille conqueritur de Simone, irridens ſcilicet eum: Vix drachmis obſonatus eſt decem. hic dolet, ut herilis filius: Hoccine eſt humanum factum aut inceptum? hoccine officium patris? In Pamphilo ſunt querelæ & lachrymæ: in Dauo riſus, ſubſanatio, illuſio. fraus. Heros.) Alij legunt heros: alij Eros ab Erote Comœdo, cuius meminit Cicero in oratione pro Roſcio Comœdo. Quidam legunt. Diuéſne loquatur an Irus. mihi placet hæc lectio, heros, id eſt, herilis filius. Sic Birria in Andria Terentij dicit: Vereor ne uxore excidat herus meus, id eſt, Charinus. herilis filius: qui mihi pro hero eſt. Maturus,) Grauis ſcilicet moribus iam perfectis, id eſt, compoſitis. is

enim

enim maturus senex, in quo compositi mores sunt. Feruidus.) Adolescens, iuuenis. Potens.) Locuples: multis facultatibus prædita. quidam legunt matrona parens, id est, materfamiliâs. non est lectio mala. Sedula.) Assidua, diligens & sollicita. Sic apud Terrentium Mysis loquitur ut sedula ancilla.

Audiui Archillis iam dudum quod Lesbiam adduci iubes.

Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria.

Nec satis digna: cui committas primo partu mulierem. Vagus.) Qui ad loca longinqua & varia proficiscitur, iuxta illud:

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare, pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

TEXTVS.

Aut famam sequere, aut sibi conuenientia finge
Scriptor. honoratum si forte reponis Achillem,
Impiger, iracundus, inexorabilis, acer.
Iura neget sibi nata: nihil non arroget armis.
Sit Medea ferox, inuictaq; flebilis Ino:
Perfidus Ixion: Io vaga: tristis Oreſtes.

SCHOLAE.

Ostendit hoc in loco Horatius, quomodo decorum obseruandum in personis: quomodo fabulæ tractandæ differentia, diuersitate & discrimine personarum, hoc est, heroum, heroidum, Deorum,

dearum &c. Incipit igitur ἀπὸ θεωρίας, à præcepto poetico: & dicit, aut famam sequendam in personis: aut conuenientia sibi fingenda. Famam.) opinionem non uulgi, non plebis, non populi: *sed eruditorum hominum. Sententiam traditam ab historicis, à poetis, ab ipso Homero, ab ipsis etiam interpretibus Homeri. Sibi conuenientia.)* Multi *Medeam scripserunt, sed alij aliter: alij alijs adhibitis sententijs. Tragœdia Herculis, non à paucis tractata, sed aliter à Græcis, & ab ijs inter se aliter: aliter etiam à Romanis, & ab ipsis quoq; inter se aliter. Quomodo hoc fieri potest? Si Hercules, uerbi gratia est iracundus: consequentiæ iræ sunt lachrymæ, fletus, minæ, tecta consilia, & huiusmodi similia: iam si alius arripiat lachrymosas sententias: alius captet insidiosas: alius proferat minantes: oritur certè tractationis diuersitas. Finge.) tragicis argumentationibus. Huiusmodi figmenta fiunt quintupliciter: πρότασει, propositione: ἀποδείξει ratione: λύσει refutatione eorum quæ contradici possunt: παρασκευῇ τῦ πάθους. incitatione animorum: & παρασκευῇ τῦ μεγέθους amplificatione. Sumuntur autem ista ex numero antecedentium & consequentium. Sibi.)* Inter se. *Honoratum)* Imago Achillis confecta ex multis proprietatibus. *Reponis.)* Retractas: aliquid noui affers de Achille: aliquid ante inauditum. Scri-

ptoris

ptores reponere dicuntur, cum inuentum argumentum retractant. quod ipsum proprium est imitatorum. Sic Terentius reposuit aliquot Comœdias Menandri. Honoratum.) Laudibus bellicis: rerum gestarum gloria. Impiger.) In laboribus. Iracundus.) In iniurijs. Inexorabilis.) In danda uenia. Acer.) In uindicando. Nata.) Data sibi iura. Medea) Filia regis Colchorum. Ferox.) In patrem: in fratrem: in liberos Iasonis: in se ipsam. Ferox.) Contemnat mortem. Inuicta.) In deponendis consilijs. Inuicta.) periculis, doloribus. Breuissimè ostendit imaginem Medeæ, quam poeta in tota tragœdia sequi debet. Flebilis.) Propter Learchum filium occisum à marito Athamante, quo facto perculsa Ino, fugit à marito: & propter timorem, de scopulo se præcipitem misit in mare cum Melicerta altera prole. Perfidus.) In socerum: in affinitatem: in Iunonem: in Iouem ipsum. Vaga.) In Aegyptum usq;: inflammata œstro Iunonis. Vaga.) Profuga: nusquam manens: nusquam consistens: sine sede: sine domo. Tristis.) Propter cædem parentis: propter adulterium matris: propter parricidium: propter domestica funera.

TEXTVS.

Si quid inexpertum scenæ committis, & audes
Personam formare nouam: seruetur ad imum
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.
Difficile est proprie communia dicere: tuq;

Rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota, indictáq; primus.

SCHOLAE.

Hactenus de personis notis: de Achille: de Medea: de Oreste &c. Nunc docet, quid faciendum, si noua fabula tractanda: si nouum argumentum sumendum ex Biblijs: ex Mose: ex Prophetis: ex alijs scriptoribus. Facit autem προοίμιον in deligendo argumento: & ea, quæ antè agitata sunt in scenis, in proscenijs, in theatro: præfert nouis, inauditis, inexpertis, cò quod difficilius hæc redigantur in actus, quam illa. Cõmittis.) In tragœdiã redigere uoles, si uis facere tragœdiã ex personis inauditis & inuisis in ipso theatro, in proscenio. Formare.) Depingere. Personam.) uultum, oculos, totum corpus: si audes mores illius exprimere: sententias etiam ei conuenientes affingere, hoc est, ut græci dicunt εἰκονίσαι. Seruetur) Rebus gestis & gerendis: forma & habitu corporis: uestitu scenico & tragico: ἤθεα καὶ διανοίαι moribus & sententia de rebus bonis atq; malis: moribus ac motibus animorum. Ad imum.) usq; ad extremum, donec actor dicat Plaudite. Incepto.) à prima parte tragœdiæ, ab ipso prologo. prologus enim quasi descriptionem habet personæ. Processerit.) In proscenium uenerit: progressa fuerit in theatrum. Constet.) Sententia, moribus & proprijs motibus animorum. Communia.) à nullo tractata

ctata adhuc : tractanda quasi bona communia, nullius adhuc propria. Dicere proprie.) Vt propria fiant, ita in actus redigere, ut tua esse dicantur, ut dicatur, is primus tractauit. Rectius.) Cum maiori laude. spe maioris laudis. In actus.) εἰς δρᾶματα tragica. in actus tragicos, quaternos aut quinos, in proscenium, in theatrum. Iliacum.) Homeri. quod publicum factum est. quod multi usurparunt, commune est quod nullius est proprium, quod nemo adhuc usurpauit, quod naturaliter propositum est omnibus. Homeri carmina non sunt communia, sed publicata. Homerus fons est omnium fabularum, omnium poetarum, ipse quasi publicatus est. partem enim sibi arrogauit Sophocles, partem alius tragicus poeta, illi omnes sunt iam publicati. Ignota.) arguumenta non cognita, nouas ὑποθέσεις, nouas fabulas. ut si Romæ in proscenium adferas fabulas non palliatas sed togatas, id est, ad morem Romanorum accommodatas. Indicta.) non dicta. Indicere significat aliquid indicare. hoc loco significat non dicta, non tractata Iambico carmine, non tractata tragicis actibus.

TEXTVS.

Publica materies priuati iuris erit: si
Nec circa vilem, patulumq; moraberis orbem:
Nec verbum verbo curabis reddere fidus
Interpres: nec desilies imitator in arctum,
Vnde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex.

Nec sic incipies vt scriptor Cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes: nascetur ridiculus mus.
Quantò rectius hic, qui nil molitur ineptè:
Dic mihi Musa virum, captæ post tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum uidit, & vrbeis.
Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem
Cogitat: ut speciosa dehinc miracula promat,
Antiphaten, Scyllamq;, & cum Cyclope Charybdim,
Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas, auditorem rapit: &, quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atq; ita mentitur: sic veris falsa remiscet,
Primò ne medium, medio ne discrepet imum.

SCHOLAE.

Ostendit hoc loco, quatuor in imitatione esse obseruanda. I. *ut id quod imitamur, tractemus doctè & eruditè: uulgata scilicet & omnibus nota, relinquendo: noua autem in medium adferendo, id quod fit προτάσει: ἀποδείξει: λύσει & πάθει, ut superioribus scholis explicatum.* II. *ut in uertendis græcorum uersibus, simus liberi non seruiles.* III. *ne in arctum, id est, in arcta uestigia alicuius poetæ patiamur nos detrudi, est enim poëtæ nimium seruientis: est poetæ plusquam deceat humilis & abiecti, de aliorum non uelle discedere uestigijs.* IIII. *ne nimiũ nos dilatemus: ne nimium alas explicemus. periculũ*

enim

enim est, ne nimis remotè et longè discedamus ab aliorum uestigijs: ne imitationem deseramus: ne ab exemplo declinemus ad res remotas, ad remotiores partes. deinde etiam, ne euadamus inflati, tumidi, nimis grandiloqui & quasi cothurnati: ne ab idea discedamus. Priuati.) Tui iuris: tuarum facultatum. Vilem orbem.) Circulum uulgi. Patulum.) Omnibus notũ: omnibus manifestum: omnium memoria notatum. Tum imitatio recta & uera est: cum uitantur publicata: omittuntur uulgata: scribuntur noua. Moraberis.) Prolixa tractatione. Versari circa patulum orbem, est uersari circa ea quæ omnibus sunt nota. Nec uerbum.) Ostendit quomodo græca uertenda. Reddere uerbum uerbo.) Ad uerbum interpretari: non interpreteris uerborum, sed sententiarum: morum: rerum gestarum. Fidus.) Si fideliter uertas. Si uoles esse fidus interpres. Duplex est ratio interpretandi græca. I. cùm uis uerborum græcorum eximitur, quod qui faciunt, fidi sunt interpretes: boni enim nihil celant, & quod uno uerbo non possunt explicare, definitione aut circumscriptione explicant. II. cum ad uerbum græca uertuntur. qua uersione impeditur cognitio. melius uertit, qui sententiam exprimit. nam qui interpretatur ad uerbum sæpè obscura pro claris ponit, quod est græcos fallere, & illudere doctis uiris. Desilies.) Deijcies te. In arctum.) In angusta uestigia, quæ uelis quasi li-

neam Apellis imitari. liber es, ne conijcias te in seruitutem: uersaris in campo, ne proijcias te in pistrinũ. Desilire in arctum est ijsdem uestigijs insistere, quibus inceßit poeta, quem imitaris. Pudor uetat.) Progredi in theatrum post magnum enim laborem, ubi ad extremum fabulæ peruenieris: abscondes te in ipso proscenio: non audebis progredi in lucem: exsibilabunt te auditores propter fabulæ contemptũ. Lex.) Præceptio poetica: doctrina tragica: tragicorum poetarum præcepta. Operis.) Poematis. Nec sic incipies.) Positum hoc est per occupationem. Nimis liberum esse, est etiam periculosum. libertas facit poetam periclitantem, audacem, tumidum & inflatum. Cyclicus.) Circulatorius: uulgaris, contemptus. Cyclicus scriptor est poeta, qui sua carmina in circulis uulgi, seu in triuijs recitabat. Fortunam.) Virgilius in Aeneide graui utitur exordio:

Arma uirumq; cano: Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; uenit
Littora. & c. Sed grauitatem illam lenit principio.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena
Carmen. & c. Quod principium non recte à *Tucca & Vario est sublatum. Hic scriptor, inflato utitur principio. uult imitari Homerũ, & aliquid facere σεμνότερον grauius, & λαμπρότερον, splendidius: sed deficit ab archetypo, hoc est, ab ipso Homero.*

ro. Hiatu.) Verborum: numeroso promisso: inflato principio. Nascetur) Ex hoc exordio siue principio. est sententia Aesopica. Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. Quantò rectius) Quam scriptor ille cyclicus, circulatorius, triuialis, quasi in triuio uenditans sua poemata. Hic.) Homerus. Molitur.) Proponit magno conatu. molimur præcipuè in exordijs rerum. Nil ineptè.) παρὰ τὸ πρέπον: contrà decorum: nil impudenter: nil prauum. Dic mihi.) Est principium Homericum, quo ostendit, quomodo fidus interpres debeat uertere græca. Non fumum.) Ἐπίπληξις γραμματικὴ: iudicium Horatij de hoc exordio κατὰ παραβολήν. Superior ἐπίπληξις habuit reprehensionem, hæc coniuncta est cum laude. Non fumum.) Obscuras narrationes. Fulgore.) ex ampla & grandiloqua propositione. Fumo.) Ex paruo & contempto principio. Speciosa.) quæ speciem habeant magnarum rerum, id est, specie magna miracula: non reuera magna, sed barbara, immania, crudelia miracula. Antiphatem.) regem ἀνθρωποφάγων, eius populi, qui uescebatur carnibus humanis. à quibus Vlysses cum socijs, nisi anchoras præcidisset, fuisset deuoratus. Reditum) è castris Græcorum post excidium Troiæ: in suam patriam & regnum: ad suas sedes. Meleagri.) Patrui sui. fuit enim Meleager Oenei Calydoniæ regis filius, & frater Tydei, qui pater fuit Diomedis. unde & Diome-

des

des apud Homerum uocatur Tydides. Ab interitu.) In Calydonia illato, à matre Althæa quæ doloris impatientia in furorem uersa: facem Parcarum, donatam ipsi Meleagro, in ignem coniecit. qua exusta, Meleager etiam, exustis intestinis omnibus, consumptus est. Ab ouo gemino.) à Polluce & Helena. Sic Virgilius incipit, non ab Anchise, nec à Venere: sed à suo Aenea. Euentum.) Ad exitum rerum. ad finem poeseos. poesis enim est μίμησις τῆς ὅλης πράξεως imitatio integræ actionis. Integrũ uoco, quod habet ἀρχὴν μέσον, & τέλος: principiũ, mediũ & finem. In medias.) In medium totius poematis, in medias partes operis, in medias actiones, in medias narrationes, expositiones. quemadmodũ facit Homerus libro nono Iliados. in quo legatis missis ab Agamemnone, ad Achillem reuocandum & reconciliandum: Phœnicem introducit loquentem, qui hac interposita de Meleagro historia: Achillem in medias ducit res & actiones, eiq; persuadere nititur ut quemadmodum Meleager ignouit Calydonijs; Sic & ipse ignoscat Græcis. Notas.) Notas dicit, quia ijs pro rationibus & argumentis utitur, docendi & delectandi causa. Et quæ desperat.) Boni scriptoris officium uersatur circa has res. I. ut exploret quid ualeant humeri. II. ut fabulam colligat, id est, totam historiam de qua scribere uelit, cognoscat. de his antè dictum, Sumite materiam uestris qui scribitis

bitis æquam Viribus &c. Et, *Aut famam sequere &c.* III. *Vt cognita historia non omnia ponat, quæ Homerus ponit, aut is quem imitari studet: sed sumat τὰ λυφθησόμενα, id est, ea quæ ponenda sunt: Et relinquat τὰ παραλειφθέντα, id est, ea quæ ad rē nō uidebuntur pertinere. Itē ea quæ exornari, perpoliri, melius componi non poterunt. Nitescere.) ornatum habere. Mentitur.) Fabulis utitur. argumentum fabulosum tractat. fabulam concipit. Falsa.) Falsa sunt in duplici discrimine* I. *quæ sunt mendacia. quæ non fuerunt, sed tamen habent suam significationem, & suam quasi quandam mysticam interpretationem, ut sunt ἀδύνατα.* II. *falsa sunt, quæ uera non sunt, & fieri tamen possunt, facta etiam esse potuerunt: τὰ μὴ πραχθέντα, δυνατὰ δὲ πρᾶξθαι, quæ non facta possunt fieri. Imum.) Extremum, extrema pars operis.*

TEXTVS.

Tu, quid ego, & populus mecum desideret, audi,
Si plausoris eges aulæa manentis, & usq;
Sessuri, donec cantor, vos plaudite, dicat:
Aetatis cuiusq; notandi sunt tibi mores,
Mobilibusq; decor naturis dandus, & annis.
Reddere qui voces iam scit puer, & pede certo
Signat humum, gestit paribus colludere: & iram
Colligit ac ponit temerè, & mutatur in horas.
Imberbis iuuenis tandem custode remoto,
Gaudet equis, canibusq;, & aprici gramine campi.
Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus prouisor, prodigus æris,

Subilmi

Sublimis cupidusq;, & amata relinquere pernix.
Conuersis studiis ætas, animusq; uirilis
Querit opes, & amicitias, inseruit honori:
Commisisse cauet, quod mox mutare laboret.
Multa senem circumueniunt incõmoda. vel quod
Quærit, & inuentis miser abstinet, ac timet uti:
Vel quod res omneis timidè gelidéq; ministrat
Dilator, spe longus, iners, auiduſq; futuri,
Difficilis, querulus laudator temporis, acti,
Se puero: censor, castigatorq; minorum.
Multa ferunt anni uenientes commoda secum:
Multa recedentes adimunt. ne forte seniles
Mandentur iuuenì partes. pueroq; viriles:
Semper in adiunctis, æuoq; morabimur aptis.

SCHOLAE.

Dixit antè de decoro, in personis tragicis iam tractatis, seruando: earumq; posuit imagines. Sed omnia illa fuerunt καθέκαστα, singularia. Achilles impiger, Medea ferox, Ino flebilis, Ixion perfidus. Io uaga, Orestes tristis. Hoc loco igitur rursus agit de decoro in omnibus ætatibus retinendo: sed generatim, & uniuersè. Ego.) Horatius, qui fungor iam uice cotis, præcepta trado poematis conficiendi. Et populus.) Quid omnes desiderent audi. Plausoris.) Populi, qui tibi plaudat, qui non exsibilet te. Aulæa.) Extrema instrumenta, extrema περιστρώματα, depositionem scilicet aulæorum & περιστρωμάτων. Vsq;.) cõstanter, perpetuò sessuri. Cantor.) Aliquis ex choro actor, qui modos fecit, quemádmodum Flaccus apud ipsum Terentium. Chorus au-

tem

tem constabat ex multis cantoribus, quorum tamen omnium sonus in choro, unus tantum erat. omnes enim erant ὁμόφωνοι, unam uocem edentes. Notandi.) Obseruandi, & obseruati exprimendi. Notandi siue cognoscendi in arte exprimendi in uersibus, in partibus fabularum. Mores.) ætatem. Decor dandus.) Decorum retinendum, hoc est, τὸ πρέπον, τὸ κάλλος, id quod habet pulchritudinem, quod est uenustum. Mobilibus naturis.) Aetatibus mobilibus, quæ semper mouentur: nunquam uno in loco consistunt. Nihil enim est, quod magis placeat, etiam uulgo, nihilq; magis est populare, quam decorum seruare in ætatibus h. e. in pueris, in adolescentibus, in iuuenibus, in uiris, in senibus, in decrepitis. Reddere qui uoces.) ostendit mobiles naturas, pueritiam scilicet, adolescentiam, iuuentutem, uirilē & senilem ætatem. Puer.) Adolescens. Reddere uoces.) Loqui & fari potest. Signat humum pede.) ambulat, incedit, firmiter insistit, uestigia sua imprimit in humum. Signare humum pede certo, est etiam saltare & chorum ducere. Certo.) Artificioso, rythmico. Paribus.) eiusdem ætatis. Colligit.) Concipit. Temerè.) Facile deponit iram. Facilè adolescens irascitur, facilè etiam placatur. hæc omnia latius explicantur ab Aristotele lib. 2. Rhetoricorum. Imberbis.) Hactenus notæ puerorum. Nunc sequuntur proprietates iuuenum. Imberbis.) Nondum barbatus, qui proximè accessit

ad

ad barbam: qui nondum exceſsit ex ephebis Cuſtode.) Pædagogo. *Cereus flecti.)* Facilis, flexibilis. *Monitoribus.)* Qui meliora dant conſilia. *Vtilium.)* rerum utilium, *id eſt*, pecuniarum. *prodigus enim æris.* Sublimis.) Elato animo, alta cogitans. *Cupidus.)* Magnarum rerum. *Pernix.)* Velox, celer in reliquendis amatis, in ijs quæ antea placuerunt. Duarum hactenus ætatum proprietates, *id eſt*, τὰ ἰδιώματα, ſequuntur tertiæ, uirilis ſcilicet ætatis, notæ. *Aetas.)* Virorum. *Conuerſis.)* mutatis ſtudijs ipſius adoleſcentiæ & iuuenilis ætatis. *Quærit.)* Prouiſor utilium rerum, parcus æris. *Amicitias.)* Beneuolentias hominum, ciuium. beneuolentiam & charitatem inter ſuos ciues, amicitiam ſuorum tribulium. *Inſeruit.)* Honores capeſſit, ad rempublicam accedit, fit candidatus, petit conſulatum, cogitat de repub. gerenda ſeu adminiſtranda. *Commiſiſſe.)* agere uitiosè. *Laboret.)* Cauet facere, quod non uelit effectum eſſe. *Multa.)* Quarta ætas, ſenectus ſcilicet. *Incommoda.)* Domeſticæ difficultatis, domeſtici laboris. incommoda corporis, fortunæ, animi etiam quædam. *Quærit.)* Bona augere inſtituit. *Inuentis.)* quæſitis. *non audet fruiſuis bonis.* cauſas huius rei habetis apud Ariſtotelem, quod uidelicet ſciat, ad quas res pecuniæ ſint utiles: norit etiam multos ſenes in ſenectute, miſerè uixiſſe. ne idcirco ſibi, quod cæteris euenit, abſtinere uidetur *inuentis.* Timidè.) Quoniam ipſi timidus eſt. Ge-

lidè.)

lidè.) Ipsa enim senectus est gelida. Dilator.) Procrastinator, in rebus emendis & uendundis, in promissis præstandis. Si cui promittit pecuniam, non primo dat die, sed tertio mense. Spe longus.) Fouet spem longam. nemo enim tam senex, qui non cogitet se annum adhuc posse uiuere: siquidem uideat plures sæpe uitulos mori, quàm uaccas. Futuri.) Futuræ uitæ. Aristoteles dicit, quò minus uitæ reliquum est, eò magis auent uiuere. Difficilis.) In mandatis, in recõciliationibus, in petitionibus, in officijs. Querulus.) Domi. Temporis acti.) Illud tempus laudat, quod se puero transactum est. Minorum.) Puerorũ & adolescentum. Multa ferunt.) Ea quæ seorsim tractauit, uno nunc ambitu complectitur, omnes ætates coniũngendo. Venientes.) Nascentes. Progredientes à pueritia usq; ad finem uirilis ætatis. Comoda.) Suauiter uiuit puer, adolescens, iuuenis, uir. quia multis adhuc commodis utuntur. Recedentes.) Annis senilibus, defectæ ætatis. non enim saltare potest senex, non labores ferre, non tanta præditus est memoria, quanta in uirili ætate. Seniles partes.) Senum uices & officia. Mandentur.) à poeta. Puerõq;.) Adolescenti. Adiunctis.) In attributis, quæ propria sunt personarum & ætatum. Morabimur.) Hærebimus, consistemus, moram faciemus, manebimus.

TEXTVS.

Aut agitur res in scenis, aut acta refertur.
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus: & quæ
Ipse sibi tradit spectator. non tamen intus
Digna geri, promes in scenam: multaque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præsens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet:
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus:
Aut in auem Procne uertatur, Cadmus in anguem.
Quodcunque ostendis mihi sic, incredulus odi.

SCHOLAE.

Vt hactenus descripsit officia & proprietates ætatum: puerorum sc. iuuenum, uirorum & senum. Sic hoc in loco ostendit decorum seruandum in theatris, in quo uulgus poëtarum & actorum solet uehementer errare & peccare. Incipit autem hoc præceptum à diuisione. Aut agitur res in scenis, inquit, aut acta refertur. nõ enim omnia sunt ostẽdenda in ipso theatro, sed quædam tantum referenda, eaq; præsertim, quæ uere agi non possunt. uerbi gratia, cum Aiax uaccas & tauros occidit, non producenda est hæc actio in scenam, sed exponenda tantum. ineptum enim foret, si coram populo & spectatoribus uaccæ & tauri occidantur, & appareat sanguis & cruor fictus. Aut agitur.) Quæ agi potest absq; turpitudine, quæ potest agi uere, non fictè, non simulatè, quæ non est horribilis, immanis, sordida, fœda: sed honesta, ueri similis & iucunda, siue in bonis, siue in

malis

malis rebus. In scenis.) In ipso theatro, coram spectatoribus, ante scenas. Refertur.) Exponitur, recitatur, in scenis. uel à choro: uel ab ipsis actoribus, utpote ab ancilla, à nutrice, à puero, si ueri simile fuit, eos adesse potuisse, uel à Deo aut Dea aliqua, in ijs sc. rebus, quibus homines interesse non potuerunt. Sic Vlysses in Aiace audiuit strepitus, obseruauit Aiacem, ex clamoribus agnouit aliquid ex flagratione potuit aliquid conijcere. sed reliqua narrantur ab ipsa Minerua. Acta.) Domi, extra conspectum hominum, post ipsas scenas. Si scilicet turpis sit, ut adulterium commissum: aut immanis, ut tortura liberorum: aut impossibilis ad representandum & agendum, ut Pallas impediens gladiũ ipsius Achillis. non enim potest Pallas ita introduci, ut non appareat humanus uultus, ut nõ appareat fieri ab homine, sed à Deo. Segnius irritant.) Post diuisionem sequitur προτίμησις, seu κρίσις iudicatio. Demissa per aurem.) Res relatæ non actæ in scenis, res recitatæ, non uisæ. Irritant.) ad motum, ad uoluptatem prouocandam: ad misericordiam, aut ad lætitiam. Segnius.) difficilius, minore cum affectu & delectatione. Oculis fidelibus.) Spectatoribus, cognitoribus, testibus. Tradit.) Conspicienda ipse spectator quasi accipit relata ab animo. oculi spectatoris uidẽt, animo autem tradit ipsis æstimanda, uel ad lætitiam uel ad dolorem. Non tamen.) Hactenus προτίμησις.

Satius est uidere omnia, quàm audire. nunc dicit, multa esse, quæ in theatrum produci non possint, nec debeant: ideoq; ab ipsis actoribus seu histrionibus narranda solum. Promes.) *res immanes, crudeles, turpes, deformes: quæ geri non possunt probabiliter quæ fieri nequeunt.* Digna geri.) *Quæ gerantur.* Intus.) *In ipsis scenis, intra ipsas scenas, post scenas.* Ex oculis.) *Spectatorum.* nuptiæ intus geruntur, *intus fit epithalamion, celebratur* Hymenæus, ad le*ctū genialē ducitur sponsa.* uaccæ & tauri intus oc*ciduntur ab Aiace, intus coquuntur liberi.* Facun*dia.)* Facundus actor. Præsens.) *In ipso theatro.* Nec pueros.) *Nunc præcepta proposita, exemplis explicat.* Coram populo.) *In scena.* Trucidet.) *Liberos, filios Iasonis.* Nefarius.) *Propter facinus sc. nefarium.* Palam.) *In proscenio, in scena. illa enim sunt horribilia, sunt immania. propterea nec possunt, nec debent in scenā produci.* Aut in auem.) *Exemplum rerum ἀδυνάτων. neq; poeta hoc efficere potest, neq; histrio, ut mulier in auem, uir in anguem uertatur. fieri deberet, si fieri posset, uel diuina maiestate & potentia: uel per præstigiatorē. In Bibliis uirga conuertitur in anguem, diuina sc. maiestate & potentia. si quis uelit ex isto loco fabulam facere non posset uirgam conuertere in anguem, quemadmodum nec histrionum quisquam.* Quodcunq;.) *Quomodocunq;.* Sic.) *Eiusmodi rebus.* Odi.) *Non possum credere esse aliquam humanā figuram quæ*

me

me uidente posſit coquere liberos ſuos: aut uirum in anguem, mulierem in auem poſſe conuerti. poteſt illud quidem repreſentari aliquo modo, ſed non uere: uerbi gratia, poſſes introducere in ſcenam, decollari ſanctum Ioannem, ſed ſpectatores intelligunt, uidentes fucum eſſe. ſatius itaq; eſt, hæc quaſi acta, in ſcena narrari quàm inepte ſpectari.

TEXTVS.

Néue minor, neu ſit quinto productior actu
Fabula, quæ poſci uult, & ſpectata reponi.
Nec Deus interſit, niſi dignus uindice nodus
Inſiderit: nec quarta loqui perſona laboret.

SCHOLAE.

Hactenus de theatris. nunc de fabulæ magnitudine, & perſonarũ decoro in fabulis ſeruando: in quo duo ſpectanda monet. I. diuinitatem & humanitatem. II. numerum, quot uidelicet perſonæ loqui debeant. Ad magnitudinem quod attinet non uult eam eſſe infinitam, & immodicam ut & Ariſtoteles. Quidam tamen exiſtimarunt, tantam eius debere eſſe magnitudinem, ut inter ortum & occaſum ſolis poſſit peragi. Sed hoc periculoſum eſt. facilis enim poteſt eſſe impeditio, aut per ſunambulum, aut uitio fabulæ. optimè itaq; Ariſtoteles, qui eam, primorũ græcorum conſuetudine, per prologum, epiſodium, exitum & choricum diſtinguit. rectè etiam Horatius, qui iuſtam fabulæ magnitudinem, actibus metitur quinque: græcos nimirum ſecutus poſteriores,

ut & reliqui Latini poetæ omnes. Fabula.) uel comœdia, uel tragœdia. Posci.) Vt agatur. Reponi spectata.) Rursũ agi. Nõ semel, sed bis, imò ter agenda, quæ pulchra sunt. Indiciũ bónæ fabulæ est, si poscatur agi. II. Si poscatur spectata reponi. Nec Deus.) Decorũ personarũ: quæ sunt, uel diuinæ, ut Iuppiter, Pallas etc. uel humanæ, ut Agamẽnõ, Aiax, Hercules, &c. Nec interfit.) Poeta nõ debet introducere Deũ, nisi coactus. ipsi enim spectatores incredduli sunt in diuinis personis: actionibus humanis maiorem habent fidem. Nodus.) Res difficilis, nodus durus. qui non potest humano cuneo diuidi seu diffindi. Cùm cuneus humanus non proficit, cùm homo non potest remedium inuenire: oportet poetam introducere Deum, qui sit uindex nodi. potenti nodo, potens euerendus cuneus. potenti inimico, potens uindex. Per nodum intelligit rem ἀδύνατον ἀνθρώπῳ, quæ necuideri, nec cognosci, nec agi ab homine potest. Sic in Aiace, Aiax solus fuit intra scenam, solus occidit uaccas et tauros, nemo hominum ibi poterat esse. nam prius hominem occidisset quàm uaccas. Mineruam igitur adesse oportuit, quæ exponeret quid intus fieret. Nec quarta.) Decorum personarum quod spectatur numero. Laboret loqui.) quia fieret interturbatio. tres garruli possunt totum conuiuium perturbare. Si duo paria in eodem prandio loquãtur, tollitur omnis cognitio. possunt quatuor

quidem

quidem introduci, & possunt etiam loqui, sed seorsim, ne alter alterum impediat.

TEXTVS.

Actoris partes Chorus, officium q; uirile
Defendat: neu quid medios intercinat actus,
Quod non proposito conducat, & hæreat aptè.
Ille bonis faueatq; & concilietur amicis:
Et regat iratos, & amet peccare timentes.
Ille dapes laudet mensæ breuis: ille salubrem
Iustitiam, legesq;, & apertis otia portis:
Ille tegat cõmissa, Deosq; precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

SCHOLAE.

Hactenus de personis, quando uidelicet introducendi Dij aut Deæ: & quot debeant personæ loqui, binæ uidelicet, aut ternæ, non plures. hoc loco chori persequitur officia. Sed quæri potest, cur Horatius dixerit: Nec quarta loqui persona laboret. *cum tamen interdum totus loquatur chorus. in quo sæpe numero uiginti, uiginti quatuor, triginta, plures etiam introducuntur personæ. Respondendum est: totum chorum pro una haberi persona. nam tametsi multi canunt, una tamen est uox, & unus est tantum qui reliquis præcinit. unde & ueri simile est, aut ipsum choragum, uocem habuisse excellentiorem, quàm reliquos in choro: aut reliquos coactos fuisse submissius canere, ne impediretur choragus: Et quemadmodum in foro musici ab oratoribus sunt adhibiti, non ut toti coronæ inseruirent seu populo.*

sed tantum ipsis orationibus, sic in choro unum fuisse, qui audiretur, reliquos succinuisse, uerisimile est, ut & numeri audirentur, & cognoscerentur etiam uerba, & sententiæ singulæ. Actoris.) ego legẽdũ puto auctoris, ut uidelicet chorus repræsentet poetam auctorem, non actorem: ut suscipiat chorus partes poetæ. Sunt quidam qui putant bonum esse quod malum est, & contrà. ideo chorus interponit & profert sententiã poetæ. Si uultis bene in legendis tragœdijs & comœdijs iudicare: uidete quid chorus loquatur: in eo namq; uidebitis quid sit probabile, quid honestum, quid uituperabile. Noui poetæ qui scripserũt comœdias, nõ fecerũt choros, sed tamen personas retinuerũt easdẽ, quas habent ueteres, bonas scilicet, aut malas. Plautus meretrices habet malas, seruos malos, omnia mala apud Plautum. Terentius è contrà, qui non grauitate solùm, sed etiam arte superat Plautum, seruos introducit bonos, Getas fideles, Dauos callidos. qua in parte maximè laudatur. Officium uirile defendat.) Pro uirili sua parte, auctoris defendat sententias, mentem, animum. Spectatores consules, Censores Catones, condemnant poetam quod introducat lenones, meretrices. Venit chorus, docet consulẽ, placat Catonem, partes poetæ & sententias honestas defendit. Intercinat.) chorus enim plerumq; cantu aut saltatione officium peragebat. Intercinere hoc loco nihil aliud est quàm

agere

agere inter medios actus. Proposito.) personis & rebus propositis. Conducat.) Conueniat. Ille.) Chorus. Bonis.) uiris, heroibus, adsit uiris bonis defendendis. Concilietur.) Alij legunt consilietur, id est, fiat consiliarius amicè, det amicè consilium erranti peccanti. Alij concilietur, id est, sese insinuet amicè, oratorum more captet benevolentiam in ueris consilijs dandis, & sic interloquatur, ut non sit odiosus. utraq; lectio bona est. Regat.) compescat iram iratorum. Mensæ breuis.) cœnæ breuis, mensæ frugalis, non laudet profusionem. Otia portis apertis.) Quibus portæ aperiuntur. portæ enim apertæ, ostendunt pacem publicam, ostendunt abesse belli periculum. Tegat.) Quantum poterit, pretereat: Commissa.) Mandata quæ celanda sunt. Id quidam intelligunt per commissa. in quorum & ego sum sententia. alij intelligunt scelera, uitia, peccata turpia, quæ non narranda sunt, nec uerbo quidem attingenda. Fortuna.) bona. Miseris.) heroibus & heroidibus. Abeat.) recedat.

TEXTVS.

Tibia non, vt nunc, orichalco, uincta, tubæq;
Aemula, sed tenuis, simplex foramine pauco
Adspirare, & adesse choris erat utilis, atq;
Nondum spissa nimis complere sedilia flatu.

Quo sanè populus numerabilis, vtpote paruus,
Et frugi, castusq́; , uerecundusque coibat.
Postquam cœpit agros extendere victor, & vrbem
Latior amplecti murus, uinoq́; diurno
Placarj Genius festis impunè diebus:
Accesit numerisq; modisq́; licentia maior.
Indoctus quid enim saperet, liberq; laborum,
Rusticus urbano confusus, turpis honesto?
Sic priscæ motumq́;, & luxuriam addidit arti
Tibicen, traxitq; uagus per pulpita uestem.
Sic etiam fidibus uoces creuere seueris,
Et tulit eloquium insolitum facundia præceps:
Vtilium q́; sagax rerum, & diuina futuri
Sortilegis non discrepuit sententia Delphis.

SCHOLAE.

Horatius inter officia chori præcipit, ne quid chorus medios intercinat actus qua sententia non uetat chorum loqui. sed uetat chorum canere. quemadmodum enim apud Euripidem producitur chorus loquens: Sic Horatius uult desinere tibicines, tacere cytharædos, & ipsum chorum loqui. Quoniam igitur fecit mentionem cantus, hoc est tibicinum & tibiæ, cytharædorum & cytharæ. hoc in loco ostendit, cuiusmodi fuerit tibia primis temporibus Græcorum & Romanorum: & qualis deinde facta, amplificato imperio. attingit etiam tertiam artis poeticæ partem διάνοιαν uidelicet. Per tibiam autem intelligit omnia scenica ornamenta, omnia instrumenta tragica & comica, sextam partem uidelicet artis poeticæ, Vincta) artificiosè composita,

affabre

affabre coniuncta. Alij iũcta legunt, alij uincta. mihi placet utraq; lectio in huiusmodi rebus esse ingenio sum nimis, nõ placet. Tibia.) Tragica & comica. Tibia erat ludorũ. Lituus & tuba militũ. Tibiæ erant theatricæ, comicæ, tragicæ. Lituus & tuba instrumẽta castrensia, Orichalco.) Alij legũt aurichalco: alij orichalco. hanc etymologian sequitur Horatius. Aemula.) imitatrix.) Tubæ.) castrensis et militaris. Tenuis.) Sic Virgilius, Sylueſtrem tenui musam meditaris auena, id est, exili uersu. Simplex.) Vnica. non septem disparibus coniuncta cicutis fistula. pastor Virgilianus fuit artificiosior, quàm primus tibicen. Pauco.) paucis foraminibus. una manu omnia foramina poterant claudi. postea duabus opus erat manibus. Adspirare & adesse.) Hellenismus, pro aderat, & aspirabat choro. Adspirare.) sonum edere, cõcinere. Adesse.) agendo. simul agere, saltare, corpus agitare, corpus mouere. artificiosus erat tibicen. poterat & simul saltare, & flare. Atq;.) Vtilis. Sedilia.) Sedes, subsellia spectatorum, aures sedentium spectatorum, seu consessus theatralis Complere.) Suo flatu. Spissa.) Nondum frequentia, numerosa, condensata, ante theatra sc. inuenta, coædificata, instructa. Quo sanè.) Paucis uerbis ponit imaginem primi populi. Quo.) Ad quæ theatra, sedilia, spectacula. Numerabilis.) qui facilè potuit numerari. populus numero

rofinitus. Paruus.) Paruum uocat hoc in loco, non numerosum, non frequens. Frugi.) uictu domestico atq; uestitu. Castus.) Verbis & pudicitia. castitas est corporis. Verecundia est uultus atq; sermonis. sunt tres insignes uirtutes frugalitas, castitas, uerecūdia. Victor.) Populus, rex: imperator & populus, apud græcos & Romanos. Agros.) Imperium dilatare. Murus latior.) Postquā addita sunt urbi, suburbia, & ipsa suburbia nouis mœnibus munita. Vino diurno.) Diurnis conuiuijs, cōmessationibus. ponit partē pro toto, accipit enim conuiuij partē meliorē & exhilarantem, quæ est uinum. Genius.) Per genium intelligit animos hominum. Placari.) Recreari & refici. Impunè.) Cùm ebrietas esset impunita, non astricta legibus sumptuarijs. Numeris.) Ipsis uersibus poētarum. Modis.) Tibicinum. Licentia.) Maior luxuria apparatus, maiores sumptus, sumptuosiora ornamenta. Indoctus,) Caussam ponit licentiæ, conuiuia populi, hominum confusionem. Indoctus.) Populus, rusticus, ciuis: plebs indocta. Liber laborum.) Solutus laborum quotidianorum, festis sc. diebus. ijs enim liberi sunt homines á laboribus. Est forma loquendi Horatiana, liber laborum. Cicero utitur libentius ablatiuo, cùm uel absq; præpositione. Consessus.) In ipsis subsellijs, in theatro. Sic.) Hac ratione. cum uideret ubicunque uictor extenderet agros, & spectatorum numerus

merus augeretur: auxit etiam suas tibias, easq; sonantiores fecit. auxit sonum & gratiam Priscæ.) Veteri arti primæ Comœdiæ, tragœdiæ, Satyræ. Motum.) Intelligit non solum motum digitorum in tibia: sed etiam motum corporis. cœpit enim tibicen uagari per pulpita, & cum alijs non tantum canere tibia, uerum etiam saltare. Luxuriam.) Luxum uestitus, tibiarum, instrumentorum musicorum. Traxit.) longiorem fecit uestem. incœpit induere uestes quasi caudatas, & infra pedes deductas. Vagus.) Ipse etiam saltans per pulpita cum ipso thoro. Fidibus.) cytharæ, testudini. Creuêre.) Numero sonorum, foraminum. oportebat enim fotum esse graviorem. ut posset complere omnia sedilia. id est, totum theatrum. ex una tibia facta est tibia dextra & sinistra. ex testudine trium chordarum, septenæ, nouenæ, duodenæ sunt factæ. Facundia præceps.) Hic intelligo eloquentiam, uersus, dictionem, orationem pœtarum, incedentem per loca præcipitia, audacem, non extimescentem loca prærupta, nullum casum & lapsum metuentem in arduis locis. Tulit.) Protulit, auxit. Eloquium.) Genus dicendi. Insolitum.) Antea inauditum. Victor urbem & imperium amplificauit. Tibicen tibiam auxit & tibiarum sonos. pœta auxit numerum & facundiam. & ausus fuit incedere per loca prærupta, & tragicum carmen scribere. Vtiliumq;.) Duo sunt gene-

ra ſententiarum apud tragicos & comicos ſcriptores. Vnum earum, quæ ſolum ſunt opiniones, ut ſunt mulierum quædam ſententiæ propriæ, quædã plebis, quædam ſartorum &c. quædam Aiacis inſanientis, quædam ipſius poëtæ. Sed illæ ſententiæ poſſunt eſſe falſæ, nec ſunt uniuerſales, ſed errantes, & ad tempus accommodatæ. hoc in loco igitur facit mentionẽ alterius generis ſentẽtiarũ, earũ uidelicet, quæ certæ ſunt & ueræ. quæ habent uaticinia, & ſunt quaſi delphica oracula Sagax.) ſtudioſa, inueſtigatrix utilium rerum metaphora ſumpta à canibus odorantibus. Diuina.) quaſi uatum ſententia. Sententiam Ariſtoteles uocat διάνοιαν, & per διάνοιαν intelligit omnis generis ſententias bonas & malas: conſilia item de rebus bonis & malis. poëtarum enim eſt exprimere in choro, quid uerum ſit, aut falſum, quid honeſtum, aut inhoneſtum, quid utile aut inutile, quid reipublicæ ſalutare aut pernitioſum &c. Sortilegis.) Oraculis. perſonam loco reponit, intelligens delphica ſortilegia ſeu oracula. ſortes enim nõ ſolum ſunt calculorum, ſed oraculorum & reſponſorum etiam.

TEXTVS

Carmine qui tragico uilem certauit ob hircum,
Mox etiam agreſteis Satyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tentauit: eo quod,
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functuſque ſacris, & potus, & exlex.

Verum

Verum ita risores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita uertere seria ludo:
Ne, quicunque Deus, quicunque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper, & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas:
Aut, dum uitat humum, nubes, & inania captet.
Effutire leuicis indigna tragœdia uersus:
Vt festis matrona moueri iussa diebus:
Intererit Satyris paullum pudibunda proteruis.
Non ego inornata, & dominantia nomina solum,
Verbaque, Pisones, Satyrorum scriptor amabo:
Nec sic enitar tragico differre colori,
Vt nihil interfit, Dauusne loquatur, & audax
Pythias, emuncto lucrata Simone talentum:
An custos, famulusque Dei Silenus alumni.

SCHOLAE.

Hactenus de tibia, seu apparatu theatrali. nunc de Satyris, & decoro in ijs seruando. quod est, ut Dij & heroës raro introducantur: & si quando Satyris misceantur, ut suum afferant genus orationis. Certauit.) Cum alijs poëtis tragicis. Tragico.) Iambico. Ob hircum.) primum enim carminis tragici præmium τράγος erat. unde & tragœdia dicta ut quidã uolũt. Mox.) Simul. Nudauit.) Nudos introduxit in spectacula. Asper.) qui alioqui asper, seuerus, toruus. locum.) lepores, sales, dicteria salutaria & utilia ad uitam. Incolumi.) Salua. Gratitate.) Morum. pudore & pudicitia incolumi, saluis pudicis auribus. Illecebris.) per illecebras intelligit hoc loco lepores & sales, licet alioqui in malam

accipiatur

accipiatur partem. Morandus.) retinendus usq;
ad finem, usq; ad aulæa. Nouitate.) nouo genere
orationis & sententiarum. Grata.) moribus seu
hominibus illius temporis. Sancta enim & salubris
erat prima Satyra, non habebat illecebras nimis li-
bidinosas. Exlex.) solutus à legum pœna. Ve-
rum.) Decorum in Satyris seruandum. Commen-
dare.) describere, introducere, scribendo commen-
dare, uersibus quasi uestire, ut grati sint populo. De-
us.) Quicunq; sit ille Deus. Regali.) purpura re-
gia. Tabernas.) Satyrorum, in obscuros choros, &
obscuras choreas Satyrorum. Humili.) plebeio,
sermone uulgi. debet manere regius sermo. Nu-
bes & inania.) Alludit ad Aristophanicum illud,
qui ineptè grandiloquos dicit quasi in nubibus uo-
lare, irridens Platonicos, & monens inanem &
fucosam grandiloquentiã esse uitandam. Indigna.)
Habet enim tragœdia sententias heroicas βασιλικὰς
diuinas. introducuntur in tragœdia reges, ut Oc-
tauius. Heroes, ut Hercules. Dij & Deæ, ut Apollo,
Minerua. Versus leues.) Sententia, uerbis, genere
sententiarum & uerborum. Sententiarum aliæ sunt
democraticæ, aliæ aristocraticæ, aliæ monarchicæ.
Reges loquuntur de suo sceptro, regno, potentia,
autoritate. Populus de æqualitate census, de frenan-
da nimia potentia & potestate. Optimates de uirtu-
te, pietate, castimonia & similibus. Si igitur rex

introdu-

introducatur, sententiæ sintβ κεφαλικαὶ: si populus, Democraticæ: *si optimates* Aristocraticæ, *ut quæq; persona suum genus sententiarum retineat.* Vt festis.) *Similitudine ostendit, regem, heroa aut* Deum, *Satyris mixtos eam debere modestiam præstare, quam præstat matrona, si festis diebus iussa est saltare.* Iussa.) *à censore, à magistratu.* Moueri.) *Saltare.* Pudibunda.) *tragœdia.* Satijris.) *Saltantibus.* Non ego.) *Est commoratio in eadem re seu loco, decorum uidelicet esse retinendum, in uerbis, in sententijs, in agendo.* Inornata.) *Inornata sunt sermonis quotidiani, uulgi, tonsorum, sartorũ, opificum.* Dominantia.) *Illa uocat dominantia quæ sunt ferè quasi cynca & satyrica: quæ pudicis auribus uim faciũt: quæ cogunt aures audire, quod inuitæ audiunt qualia sunt obscœna uerba amorum & libidinum, ut cum carbonem, uocamus carbonem, in rebus etiam malis.* Differre.) *Præ cæteris aliquid posse.* Colori.) *malo legere colore.* Lucrata.) *Pro lucro talento ablato.* An custos.) *oportet uerbis uti proprijs, ut singulæ personæ habeant uerba apta & idonea. Aliud enim, ut diximus, genus uerborum est regium, aliud plebis, aliud Dei. & quemadmodum uerborum, ita etiam sententiarũ.*

TEXTVS.

Ex noto fictum carmen sequar: vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multum, frustraq; laboret
Ausus idem: tantum series, iunctura q; pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Res & materia poetarum orta est primum ab ipsa natura, & hominum actionibus, ut ex Anchise & Venere, Aeneas: ab Hercule, duodecim eius labores. & hi qui fecerunt res, in arte poetica uocantur actores. Deinde assumuntur res ab ipsis scriptoribus. qui primus scriptor est, debet docere. Sic Homerus multa docuit poetas, Socrates & plato Philosophos, Apelles pictores, Phidias statuarios. & propterea hic ordo est sequendus. Hercules faciat, Homerus doceat, Secundarij poetæ h. e. Sophocles, Euripides, Aeschilus, Thespis & alij imitentur. unde & dicitur, Euripides imitatus est præceptorem, sc. Homerum. Horatius ultra hunc tertium gradum progreditur, & ostendit Aristophanem posse imitari à Menandro: Menandrum ab alijs poetis græcis, & hos ipsos græcos poetas exempla posse suppeditare latinis, Accio, Vario, Plauto, Terentio &c. & hoc est, quod dicit hoc loco, Ex noto fictum carmen sequar. quo ostendit, rem eandem posse semel atq; iterum, & tertio tractari. quod præceptum rursus ad ipsum argumentum seu hypothesin pertinet. Sequar. (Potero sequi, pro exemplo habere. Fictum.) Tractatum, confectum poeticè, poetæ enim dicuntur, non solùm μιμεῖσθαι, uerum etiam fingere. ego, dicit, tertius scriptor potero sequi carmen factum ab aliquo. Boni poetæ in-

dicium

dicium est, res tractatas ab alijs posse retractare artificioſe, & ratione facili atq; expedita. Ex noto.) id est, Homerico, ex primò poeta, aut aliquo ſecundo. oſtendit rem unam duobus, tribus, quatuor modis posse tractari. Quiuis.) Poetarum ex uulgo: quiuis uulgarium poetarum. Speret idem.) Se posse facere. Sudet.) Loquitur de ſe magnifice, aliquid de ſe prædicat, oſtendit ſe posse facere huiuſmodi carmen tertio, quarto loco. Seris.) Ordo rerum & diſpoſitio. Series eſt τάξεως. τάξις est antecedentium & conſequentium. ex conſequentibus fiunt nouæ quaſi fabulæ. quapropter non ſolum rerum intelligit οἰκονομίαν, uerum etiam ἀκολουθίαν, id eſt, conſequentiam. Iunctura.) Verborum compoſitio & collocatio τεχνικὴ artificioſa. Sumptis.) argumentis, fabulis. De medio.) Ex alijs ſcriptoribus in medium productis. Eſt præceptum facilitatis, ut carmen facile uideatur, ut facilitas ipſa conſiſtat in medio, non repat humi, non in aëra ſe tollat, non uolitet.

TEXTVS.

Syluis deducti caueant, me iudice Fauni,
Ne, uelut innati triuijs, ac penè forenſes,
Aut nimium teneris iuuenentur uerſibus unquam:
Aut immunda crepent, ignominioſaq; dicta.
Offenduntur enim, quibus eſt equus, & pater, & res:
Nec, ſi quid fricti ciceris probat, & nucis emtor,
Æquis accipiunt animis, donante uocorona.

SCHOLAE.

Tria uitanda in ſyluis. I. *prudentia nimis ſenatoria & oratio urbana.* II. *mollities effœminata. Vt enim poeta moll is uitandus, ſic & mollia carmina. Sunt autem mollia carmina, in quibus ſententiæ ſunt nimis amatoriæ.* III. *nimia laſciuia, & ruſtica ac feralis impudentia. quia contra decorum eſt, & peccat in ipſam uerecundiam, pudorem & pudicitiam. Cuiuſmodi debet igitur eſſe Satyricus? Semipaganus, effectus quaſi ex ciue, & ruſtico, ſemiruſticus eſſe debet, qui loquatur, non ut Senatores, non ut equites* Romani, *non ut oratores forenſes, nec ſit nimis impudicus, impudens, laſciuus, quemadmodum ſylueſtres Satyri, qui nudi introducuntur, quos nihil pudet, in quibus feralis eſt impudentia.* Fauni.) Feri & agreſtes, ſylueſtres, educati & nutriti in ſyluis, in locis deſertis, in ſolitudine. Verſibus.) Dictis & ſententijs. Triuijs.) Vrbis, in conuentu & cœtu hominum. Forenſes.) in ſubſellijs oratorum, in curia ipſius ſenatus, in foro q. educati, ut oratores, ut aduocati, ut procuratores. Satyrorum uerba non debent eſſe ſenatoria, non etiam urbani populi. Ipſi Satyri debent habere aliquid agreſte, aliquid quod ruſticum ſit, non debent eſſe paganiſed ſemipagani, hoc eſt, medium tenere inter paganum & ciuem. Teneris.) Numero, ut ſunt Pyrrichius, Anapæſtus. illi enim nimis ſunt mobiles.

Verſus

Versus teneri sunt, qui habent sententias teneras. Teneræ sententiæ sunt nutricum puerperarum, puellarum, uirginum. Sic etiam uerbis non utentur tenuibus, quemadmodum sunt uerba Diminutiua. metaphoras etiam amatorias uitabunt, quæ res significant delicatas. Immunda.) Immunda sunt quæ cor inficiunt, cuiusmodi sunt uocabula turpia. Ignominiosa.) Quæ pertinent ad hominum ignominiam. Dicta.) Per dicta, uerba & sententias intelligit immundas & ignominiosas. Equus.) Ordo equestris. *Pater.)* Patricij. *Res.)* Diuites. *Nec, si quid.)* Nō *debemus loqui ut equites, ut patricij, ut diuites, sed his debemus probari. non Senatorias debemus adferre sententias, non nimis molles, non impudentes. offenduntur enim illis ipsis, patricij, ordo equestris, diuites, quibus oportet placere, tanquam melioribus & auctioribus, non uulgo, non plebi stultæ. Accipiunt.) Equites, Senatores, & diuites in populo ciues. Fricti.) Sic quidam corrigunt ex Plauto, qui inquit: hunc hominem ita frictum reddam, ut cicer. Frictum cicer est, quod uocant fressum, & fabam fressam, frictam, id est, contusam. pauperes enim hoc cibo utebantur in ipso theatro. aliquando enim ludi incipiebant cum sole, & desinebant cum sole. idcirco edulia apportabantur in theatrum: à pauperibus nux & frictum cicer. Emtor.) edonem intelligit, qui in medio foro, in ipso theatro edit.* Co-

rona.) Laude theatrica. oportet nos probari, si uolumus esse boni poetæ ædilib. curulibus, qui populo exhibebant eiusmodi spectacula: oportet placere hominibus elegantibus, non mercenarijs & uulgo.

TEXTVS.

Syllaba longa breui subiecta, vocatur Iambus.
Pes citus: unde etiam trimetris accrescere iussit
Nomen Iambeis, cum senos redderet ictus:
Primus ad extremum similis sibi non ita pridem,
Tardior ut paulò, grauiorq; ueniret ad aureis,
Spondeos stabileis in iura paterna recepit
Commodus, & patiens: non ut de sede secunda
Cederet, aut quarta socialiter. hic & in Attî
Nobilibus trimetris apparet rarus, & Ennî.

SCHOLAE.

Nunc quid decori in metris Iambicis retinendũ, & quid uitij uitandum, ostendit, duo faciens carminis Iambici genera. Vnum antiquum & uetus, quod ex puris & meris Iambis constat, choreis & perpetuis saltationibus aptum. Alterum nouum, quod in locis paribus, hoc est, in secunda aut quarta sede, admittit etiam Spondeum qui numerum faciat tardiorem, & grauiorem. Hoc genus secundum laudabile est, si rectè usurpetur, & cum iuditio adhibeatur: in grauitate uidelicet, seu cum graues sunt sententiæ: in leuitate & celeritate non item. Pes citus.) Comparatus celeritati, choreis, saltationibus, orationi uolubili. ex breui enim syllaba & longa constat. Iussit.) Hic pes. Accrescere.) Nouum nomen impo-

ni.

ni. Trimetris.) Quod *tres habeant dimensiones. dimensio autem fit ex coniunctione duorum pedum.* Redderet.) *Constitueretur ex senis pedum percussionibus* Primus.) Pes. Extremum.) *Vsq; ad extremam sedem.* Similis.) *Suo numero, syllaba una breui, & altera insequente longa.* Non ita pridem.) *Non ita ante multos annos.* Terentius liberius uiolauit hanc legem, *statim in prima scena Andriæ, meros ponens spondeos: Vos isthæc intrò auferte &c.* Tardior.) *Temporibus.* Ad aures.) *Spectatorum.* Stabiles.) *Tardos pedes spondeos. Spondeus enim constat ex duabus syllabis longis.* Paterna.) *In suam possessionem, patrimonium.* Commodus.) *Non importunus.* Socialiter.) *Vt sit in communione sociorum, in sociali necessitudine: ut ius Societatis seruetur, ne spondeus omnia loca occupet, sed sit tanquam fidelis socius. is enim scit, quæ sua sint iura, quæ alterius.* Attî & Enni.) *Hi enim cœperunt hanc legem uiolare.*

TEXTVS.

In scenam missos magno cum pondere versus,
Aut operæ celeris nimium, curaque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi,
Non quiuis uidet immodulata poemata Iudex:
Et data Romanis uenia est indigna poetis,
Idcircóne vager, scribamque licenter: an omnes
Visuros peccata putem mea tutus, et intra
Spem veniæ cautus? vitaui denique culpam,
Non laudem merui. vos exemplaria Græca
Nocturna versate manu, versate diurna.

At uestri proaui Plautinos & numeros,&
Laudauere Sales: nimium patienter vtrunque.
Ne dicam stultè, mirati: Si modo ego, & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dicto
Legitimumque sonum digitis callemus,& aure.

SCHOLAE.

Reprehendit poetas qui crebris utuntur Spondeis in numero Iambico, & ostendit in caussa esse, uel celeritatem, uel negligentiam, uel ignoratiam artis.. Versus) Iambicos. *Magno põdere.)* Multis Spondeis. *Non quiuis.)* Est occupatio. *Centesimus non intelligit, lambusne sit an spondeus sit græcorum ista seruitus non* Romanorum. *Iudex.)* Spectator. *Immodulata.)* κακόρυθμα, ἄρυθμα, *malis numeris iuncta poëmata.* Romanis.) Scriptoribus, *poëtis comicis & tragicis.* Indigna.) *Tametsi indigna, tamen est data. boni enim poëtæ non utuntur spondeis in carmine Iambico, nisi cum est necessarium. Seruant decorum in grauitate, in pondere sententiarum, in personis.* Idcircóne) λύσις *refutatio.* Vager.) *Liber & solutus numeri cura: progrediar incertis pedibus.* Licenter.) *Cum nimia uenia, petulanter & dissolutè.* Peccata.) Vitiosos pedes. *Satiusne est metuere, quàm agere licenter.* Tutus.) Retentis pedibus: Cautus.) *in libertate.* Vitaui.) Duo sunt gradus in officio. *Vitare culpam, id est, reprehensionem: & mereri laudem. Id fit, si perfectum aliquid & absolutum tradatur, si aliquid scribatur insigne*

signe, excellens, & singulare, quod placeat eruditis & literatis. Qui duplicem hunc finem propositum habet, ut uitet culpam, & mereatur laudem: is bonus est poëta. Vos exemplaria.) Hoc dicit propter id, Data Romanis uenia est indigna poëtis. Satius est Græcos imitari quàm Romanos, non obseruanda est Romanorum negligentia, sed græcorum diligentia. Si uis ueniam mereri: potes imitari Terentium, Accium. Sed hoc nõ satis est. oportet te inuenire laudem, & quærere Græcos, non Romanos, quibus data est indigna licentia. At uestri.) Altera obiectio. Quid tu nos auocas à Plauto, à poëtis latinis, cùm nostri proaui eos laudarint. Sales.) Sententias lepidas, festiuas. Nimium.) λίαν. Patienter.) Licenter. Vim facit, qui licentia utitur: Vim patitur, qui licentiam cogitur sustinere. Seponere.) Secernere distinguere. Inurbanum.) Infestiuum. Plautus multos habet iocos, non tamen omnes sunt urbani. Vrbani enim sunt, qui placent senatoribus, equitibus, literatis hominibus: non qui probantur uulgo, opificibus, Sutoribus &c. cuiusmodi multa apud Plautum inuenire licet. Callemus.) Intelligimus. Legitimum.) Artificiosum. Digitis.) Mensuratione. Aure.) Aurium iudicio.

TEXTVS.

Ignotum tragicæ genus iuueniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poemata Theſpis:
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallæque repertor honeſtæ

Aeſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis:
Et docuit magnumque loqui, mitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia, non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi lex eſt accepta, chorusque
Turpiter obticuit, ſublato iure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquere poetæ:
Nec minimum meruere decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta:
Vel qui prætextas, vel qui docuere togatas.

SCHOLAE.

Hoc in loco Horatius quatuor docet. Primò, Tragicæ camœnæ inuentorẽ fuiſſe Theſpin. Deinde Aeſchylum eam amplificaſſe, auxiſſe & exornaſſe. Tũ Tragœdiæ ſucceſsiſſe Comœdiam ueterem, & illam non diu regnaſſe in theatro, ſed fuiſſe abrogatam à magiſtratu, & condemnatam propter petulantiam, remoto ſc. choro. in huius autem locum ſucceſsiſſe Comœdiam nouam. Poſtremò oſtendit Romanos *tranſtuliſſe gloriam à Græcis, & reliquiſſe argumẽta ſeu fabulas* Homeri, & Græcorum poëtarum, *ac feciſſe togatas & prætextatas comœdias, id eſt, habentes* Romanas hiſtorias, *utpote* Regum, Cæſarum, ruſticorum. *Primùm igitur quod continetur in his uerſibus, eſt inuentio, amplificatio, & uariatio fabularum. Alterum pertinet ad* σκηνοποιΐαν, *ſeu* ὄψιν, *id eſt, ad ſextam artis poeticæ partem: oſtendens Theſpin fæces & plauſtra inueniſſe: Aeſchylum laruas, contabulationẽ, ſuggeſtum. Camœnæ tragicæ.)*

Genus

Genus dicendi tragicum, numeros tragicos, tragicas fabulas. Ignotum.) *nouum, non auditum, non antea cognitum.* Vexisse.) *Per compita, per oppida.* Poëmata.) *Actus fabularum.* Quæ.) *Poëmata.* Canerent.) *ij qui erant in choro.* Agerent.) *Vicarijs sermonibus. per uices loquentiũ.* Fæcibus.) *Personariũ enim loco fæcibus utebantur. Idcirco alij à fæcibus, alij ab hirco deductam tragœdiam uolunt. utrumq; retinet Horatius.* Personæ.) *Laruæ.* Pallæ.) *Palla erat mulierc ularum stola, seu suprema mulierum uestis, quæ tegebat tunicam. Pallium erat uirorum Honestæ.*) *Quæ decet matronas. tegit enim omnia.* Pulpita.) *Ipsas scenas.* Tignis.) *Tigna uocat hoc in loco quæ nos asseres uocamus. inuenit contabulationem, contignationem, suggestus contignatos.* Magnum.) *Tragicè loqui, tragicis uti uersibus, sententijs, uerbis sesquipedalibus.* Cothurno.) *Inter ueteres habemus adhuc Aristophanem.* Libertas.) παῤῥησία, *id est, ipsa conuicia ueteris comœdiæ. maledicentia delapsa est in uituperationem.* Vim.) *Maledictorum. maledicta enim uim faciunt famæ & existimationi. Veteres introducebant ciues expressos personis, laruis, imitatione oris, uultus, uestitus, annulorum: introducebant etiam ipsos magistratus loquentes.* Dignam regi.) *Quæ debebat coërceri pœna, mulcta.* Accepta.) *Lata, fixa, de abrogando choro, de mutanda ueteri comœdia.* Nocendi.) *Nominandi in ipsa*

scena

scena. nec licebat nominare, nec etiam effictos uoce & uultu producere. Nil intentatum.) *Hactenus de græcis, quibus tribuit inuentionem fabularum, personarum, chori, ipsius theatri, nunc de latinis poetis.* Nostri.) *Ennius, Plautus &c.* Nil.) *nullum genus scripti, poematis, fabulæ, tragœdiæ, Comœdiæ.* Intentatum.) *Omnia tentarunt, scripserunt Comœdias palliatas, habentes uestigia græcorum, græcas personas græcorum inuenta.* Vestigia.) *Græcorum fabulas, tragœdias atq; Comœdias: Homerum. Euripidem, Sophoclem, eorumq; argumenta. Retinuerunt quidem Romani partes fabularum & actus, sed argumenta græcorum deseruerunt.* Celebrare.) *Ducere in theatrum.* Facta.) *domesticas personas: Octauium, Neronum, ipsum Romulum, & horum ortus, uitam, facta, exitus uitæ.* Prætextas.) *Per prætextas intelligit fabulas & tragœdias nobilium. in quibus adolescentes induti toga prætexta loquebantur. Per togatas, uulgi fabulas. togæ enim erant omnium & sic uidentur prætextatæ præstantiores togatis.*

TEXTVS.

Nec virtute foret, clarisue potentius armis,
Quam lingua, Latium: si non offenderet vnum
Quenq; poetarum limæ labor, & mora. vos ô
Pompilius sanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, atq;
Perfectum decies non castigauit ad vnguem.
Ingenium misera quia fortunatius arte

Credit,

Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus: bona pars non vngueis ponere curat,
Non barbam: secreta petit loca, balnea uitat.
Nanciscetur enim pretium nomenq; poetæ
Si tribus Anticyris caput insanabile nunquam
Tonsori Licino commiserit. ô ego læuus,
Qui purgo bilem sub verni temporis horam,
Non alius faceret meliora poemata.

SCHOLAE.

Hactenus honorificè de Romanis: nunc descendit ad reprehensionem eorum, qui præcipitant poemata, nulla adhibita lima. simul remouens falsum studium & curam quorundam, in non ponendis unguibus, in quærenda solitudine, & similibus, ac docens tria necessaria esse in poetis, naturam, artem & solicitudinem. Natura nascitur quidem nobiscum: sed elimatur tamen & conseruatur arte pudicitia, castitate, temperantia. Ars in anno, uel etiam sex mensibus tradi potest, & facilè disci: sed cura & exercitatio illa nobis deest.. Sic nihil est quod nostro tempore barbariem magis inducat in scholas, quã negligentia styli. oportet itaq; nos diligentissimos esse in uerbis coaceruandis & distinguendis, ut omnem copiam redigamus in certos ordines, & illos ipsos deinceps singulos distinguamus dialecticè. Simplicibus, coniunctis, quantitatibus, qualitatibus, relatione, locis, temporibus &c. Huiusmodi digestione plus proficeremus paucis annis, quàm multorum autorum interpretatione. Altera causa

barbari-

barbariei hæc est, quod non sumus diligentes in deligendis rebus & sententijs. quæuis enim quouis modo scribimus: facimus epistolas & orationes deformes, confusas uocabulis græcis, latinis, barbaris. nihil boni facimus: nullum habemus delectum. putamus bonam esse orationem, in qua una periodus hebraica, græca altera, alia latina. Hæc uitia sunt in nostra schola, imò in omnibus scholis. nemo est qui adhibeat remedia: & si qui sunt qui cupiant, illi ipsi impediuntur. Latium.) Populus Romanus. *Lingua.)* Eloquentia, facundia. *Offenderet.)* Impediret, corrumperet. *Limæ.)* Emendationis. *Morã.)* Expectatio perfectionis. *Duo hîc notantur uitia. pigritia in elimando & nimia cupiditas in diuulgendo. poema diligenter debet conscribi. deinde reuocari sub unguem, non nimis cito in uulgus edi, non præcipitari. Sed nos impatientes sumus moræ, nihil instituimus ad curam: nihil ad studij constantiam, imperfectum partum edimus in lucem: edimus abortus, non poemata & quod auari faciunt in pecunia, qui præstãtiores retinẽt nũmos, id nos in poemate minime facimus. quæuis enim uerba quouis modo scribimus & retinemus. Dies.)* multi anni. *Litura.)* Lima, emendatio. *Perfectum.)* Alij præfectum unguem legunt, & placet emendatio. ungues enim secari & præsecari dicuntur. Sic Horatius dicit Ode 6. lib. I. Carm.

Nos

Nos conuiuia, nos prælia uirginum
Sectis in iuuenes unguibus acrium
Cantamus. Solent enim puellæ ungues acuere contra laſciuiam adoleſcentulorum. eſt acuta emendatio. ſed quiuis poteſt ungues præſecare. malo itaq; legere ad unguem perfectum. loquitur enim hoc loco delimato & perfecto iuditio & examine. quod & Quintilianis requirit in ſcriptis diuulgandis.. Ingenium miſera.) Falſam curam oſtendit, & falſum ſtudium poetarum. Democritus tribuit primam laudem ingenio, nihil arti. uolebat poetas naſci, non fieri, non doceri & erudiri: excitari uolebat eos diuinitus, inflatos quaſi ſpiritu diuino: exagitari furore quodam, & quaſi furere. hunc ſecuti quidam, non ponebant ungues, patiebantur eosdem creſcere, cupiebant inſani eſſe, & petebant loca deſerta ut uiderentur furere. Contrà Horatius furorem poeticum naſci dicit & excitari: diligentia, inueſtigando, componendo, elimando: & uera ἄσκια tria ponit, naturam, artem, curam & diligentiam. Fortunatius.) Præſtantius. Arte miſera.) Nec γνώσιν ſeu ἐπιστήμην rerũ ſuppeditat. Ars enim eſt paucorum præceptionum. Sanos.) Qui furore non aguntur: non rapiuntur furore poetico diuinitus inflammati. Bona pars.) Vatum, poetarum. Ponere.) præſecare. Secreta.) Solitudinem. Nanciſcetur.) Hoc inſtituto, his unguibus, hac barba,

ba. hac solitudine, his sordibus. Tribus Anticyris.) uniuerso elleboro. in Anticyris enim nascebatur elleborus. O ego.) Est uituperatio ironica. Læuus.) Stultus, ineptus, uanus. Purgo.) Tribus anticyris, omni genere ellebori. Bilem.) Humores malos, bilem atram, melancholiam, quæ parit furorem. contra quem utimur elleboro.

TEXTVS.

Verum
Nil tanti est. ergo fungar vice cotis: acutum
Reddere quæ ferrum ualet, exsors ipsa secandi.
Munus, & officium nil scribens ipse docebo:
Vnde parentur opes: quid alat, formetq; poetam:
Quid deceat, quid non: quo virtus, quo ferat error.
Scribendi recte, sapere est: & principium, & fons.
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ:
Verbaq; prouisam rem non inuita sequentur.
Qui didicit, patriæ quid debeat, & quid amicis:
Quo sit amore parēs, quo frater amandus, & hospes:
Quod sit conscripti, quod Iudicis officium, quæ
Partes in bellum missi Ducis: ille profecto
Reddere personæ scit conuenientia cuiq;.
Respicere exemplar uitæ, morumq; iubebo
Doctum imitatorem, & uiuas hinc ducere voces.

SCHOLAE.

Primaria causſa poetices est natura bona. illa ipsa non uult conseruari unguibus, non barba, non locis desertis, non fuga balneorum. sed conseruatur ratione uictus, quam græci diætam appellant, quæ est cibi & potus: conseruatur ambulationibus, uectionibus, & eiusmodi exercitationibus. Altera

causſa

causſa eſt ars: artis theoremata, κατάληψις, propoſitiones & præcepta. quæ debent eſſe modica, breuia, non immenſa. Tertia cauſſa eſt exercitatio. in primo non eſt labor: naſcitur enim nobiſcum. in altero breuis. poteſt enim ſex menſibus tradi & diſci. in tertio, ſummus & moleſtiſſimus. ſtudium enim & diligentiam non mediocrem requirit. De his tribus hactenus, hoc loco quartum additur, quod inprimis eſt neceſſarium: γνῶσις ſc. ſeu cognitio rerum, hanc tradi docet in philoſophia, quæ quaſi nutrix eſt poëticæ naturæ & indolis. Quatuor igitur erunt cauſſæ poëtices, natura, ars, cognitio rerum & exercitatio. Cognitionem tertio loco ponendam puto idcirco. nã ubi hæc tria ſunt, natura, ars & cognitio rerum: ſuccedit non inuita ipſa ſcriptio, ſeu rei ipſius confectio. Nil tanti eſt.) Non tanti eſt pretium & nomen poëtæ, quanti ſana mens in ſano corpore. Vna hæc eſt interpretatio. altera eſt iſta. nil tanti eſt, quanti purgatio bilis. ſeu, nil tanti facio, quanti purgationem bilis. huiusmodi amphibologiæ, cum utraq; interpretatio pertinet ad rem, laudantur à Cicerone. Ergo fungar.) Tribus utitur propoſitionibus, quarũ prior habet ſimilitudinem. altera uerba propria, tertia diuiſionem. Vice.) Officio. Ferrum.) Cultrum, pugionem. Exors.) Non poteſt ſecare. Nil ſcribens.) Nullos uerſus facien's, quia purgaui cerebrum & melancholiam elleboro: quia nõ poſſum furere. quo-

niam non possum esse poeta, uolo esse cos. Munus & officium.) boni poetæ. II. Propositio. Munus est dignitatis, est honorarium, est diuinum donum, est donum datum quasi diuinitus, ab ipsa natura, arte, philosophia. Officium est quod quisq; facere debet. Vnde parentur.) III. propositio distributio muneris. Opes.) supellex poetarum. Copiæ & facultates poeticæ. quæ parantur ex doctrinis & cognitione artium ac disciplinarum: ex reuolutione græcorum authorum & fabularũ, ex Ethicis, politicis, ex ipsa philosophia, ex scriptis deniq; propheticis & Apostolicis. Alat.) Vt crescat in magnum uirum, ut illius fama crescat. Ars format poetam, philosophia est eius nutrix & alumna. philosophiæ enim studijs mens poetæ nutritur. Quid deceat.) Quæ sententiæ deceant. quod genus sententiarũ. quod genus personarum. nam quæ decent, sunt retinenda, quia decora. quæ non decent, sunt fugienda. quia indecora. Virtus.) ἡ τέχνη, ἡ γνῶσις, ἡ ἐπιστήμη, ars enim tradit methodum ut errare non possimus, ars tradit habitum, habentem facultatẽ, & propterea dicitur uirtus. Error.) Ignoratio artis ἀτεχνία, ἄγνοια. Scribendi rectè.) Ostendit sapientiam, principium esse & fontem rectè scribendi, eamq; petendam ex scriptis philosophorum docet. & hæc est quarta poetices causſa, γνῶσις uidelicet seu cognitio rerum. sapere.) Sapientia, studium sapientiæ, sententijs sapi-

entibus

entibus esse instructum, utpote Propheticis, Apostolicis, Philosophicis. de religione, de rebus bonis & malis, de officijs hominum. libros philosophorum, historias, Ethica, sacras literas cognouisse: est principium & fons poeticæ facultatis, boni poematis laudatæ poeseos. Rem tibi.) Vnde sapientia sumenda sit, ostendit. Chartæ Socraticæ.) disputationes Socratis apud Platonem, de moribus, de legibus, de republica, Platonis & Socratis discipuli, ipse Xenophon, & reliqui. Platonis egregij dialogi, magnifici sermones & amplitudo. amplissimus scriptor est Plato, sed nos habemus meliores, prophetas sc. Apostolos & Euangelistas. Verbaq;.) hic uersus caussam continet, cur res prius quærendæ quam uerba. quod uidelicet illæ, hæc secum adferant. Rem.) sapientiam. Prouisam.) Cognitam á præceptoribus, á Philosophis, ex chartis Socraticis. Qui didicit.) ostendit quid ex Socraticis chartis discere debeamus, τὰ ἠθικὰ uidelicet, id est, Ethicam, politicam et œconomicam. Debeat.) ferendis & obtemperandis legibus, gerendis magistratibus. Conscripti.) Conscripti, equitis Romani asscripti in ordinem senatorium. Iudicis.) In caussis cognoscendis, in sententijs ferendis, in condemnando, in absoluendo, in præmijs liberalibus, in mulcta atq; pœnis. Partes.) officia Imperatoris. oportet poetam scire artem militarem. oportet legisse historicos. nam ex ijs officia ducum cognoscuntur.

Hic igitur idoneus erit ad hanc facultatem, qui cognouit Ethicam, politicam, libros Platonis, & reliquos qui bene de his rebus scripserunt. Horatius hoc loco non omnia persequitur, sed tantum præcipua: Ille profecto.) *Sententia habens fiduciam. Conuenientia.) conuenientes sententias: conueniens ἤθος, conuenientes mores.* Respicere.) *capere exemplar ex ipsa uita, uitam habere pro exemplo, inspicere mores. & officia singularum ætatum & institutorum, senum, uirorum, iuuenum, adolescentum, puerorum, agricolarum, patrumfamilias, Senatorum.* Imitatorem.) *poetam. poeta enim est imitator humanæ uitæ, τῶν ἤθων ἀνθρωπίνων. Voces, sententias. sententiæ enim conficiuntur uocibus, id est, dictionibus, ex coniunctione multarũ uocum, uox una efficitur, quæ est sententia quasi animata, & prædita mente ipsius sapientiæ.*

TEXTVS

Interdum speciosa iocis. morataque recte
Fabula, nullius Veneris, sine pondere, & arte.
Valdius oblectat populum, meliusque moratur,
Quam versus inopes rerum, nugæque canoræ.

SCHOLAE.

Ponit hoc loco duo genera uitiosorũ poematũ, & in his duobus facit προτίμησιν delectum. primum est inflatũ, quod nihil habet, nisi sonitum uerborum & sesquipedalia uerba, quod ampullas usurpat, sed nullam habet mentem, nullam sententiam sapientem,

quod

quod solum rythmum & harmoniam uerborum sequitur. Alterum est ἠθικὸν, quod habet rem, sed non uerborum delectum, non ornatum, non uirtutem. huius generis scriptorem pluris æstimat, quàm superioris, quem inanem & uanum esse docet. Speciosa.) Grata iocis, salibus, sententijs iocosis & lepidis. Morata.) moratis sententijs, morato genere dicendi. Veneris.) Nullius elegantiæ, iuncturæ, numeri. Sine pondere.) Verborum. Arte.) Inartificiosè non secundum artem cõscripta. Valdius.) Vehementius. Moratur.) retinet auditorem usq; ad aulæa, donec actor dicat ualete & plaudite. Morari est hoc loco attentum spectatorem retinere. Inopes.) absq; sententijs. Nugæ.) nugatoriæ sententiæ. Canoræ.) propter numerosa & sonantia uerba. oportet sententias diligentißimè inspicere poetam, ne ulla sit inepta.

TEXTVS.

Graijs ingenium, Graijs dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem, nullius auaris.
Romani pueri longis rationibus assem
Discunt in partes centum diducere. dicat
Filius Albini, si de quincunce remota est
Uncia, quid superat? poteras dixisse triens. eu.
Rem poteris seruare tuam: redit uncia. quid fit?
Semis. ad hæc animos ærugo, & cura peculi
Cum semel imbuerit: speramus carmina fingi
Posse linenda cedro, & læui seruanda cupresso.

SCHOLAE.

Hactenus unde materia sumenda: qua forma induenda, & quæ uitia uitanda in poemate. nunc ostēdit qui poetæ præcipuè sequendi, & simul uituperat Romanos. quapropter quidam putant hoc opus referendum potius esse inter Satyras & epistolas, quā nominandum artem poëticam. Ingenium.) Artes & disciplinas. Ore rotundo.) Pleno uerbis plenis. Verba plena, sunt uerba σύφωνα, uerba συσσημαντικὰ, quæ rem benè exprimunt; quæ habent sonum in uoce, & grauitatem in significando. Dicit autem ore rotundo, propter Græcorum παγγλωττίαν, id est, facultatem, seu linguam idoneam in omnibus rebus. Ingenium, propter artes & disciplinas, quæ à Græcis, præcipuè autem Athenienſibus, tradebantur. Præter laudem.) Poëseos. poeta græcus plus amat uersus suos, quàm opes ac facultates, est superbior quàm ipse Alcibiades. nihil quærit præter laudem. Rationibus.) arithmeticis, additione, subductione, multiplicatione, diuisione. Romanorum pueri sunt exercitati in asse. possunt diuidere assem in duodecim uncias, & siquid uel addatur, uel dematur quincunci, sciunt quid fiat. Triens.) Triens dicitur quia ter quatuor efficiunt 12. Rem.) Hæreditatem, patrimonium tuum. Redit.) Additur uncia ad quincuncem. Semis.) Sexta pars. Cura peculi.) Cupido, auaritia, quæ quasi ærugo est animi. Cedro.) Oleo cedrino.

Aut

TEXTVS.

Aut prodesse uolunt, aut delectare poetæ
Aut simul & iucunda, & idonea dicere uitæ.
Quicquid præcipies, esto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.
Omne superuacuum pleno de pectore manat.
Ficta voluptatis caussa, sint proxima veris.
Nec quod cunque uolet, poscat sibi fabula credi:
Neu pransæ Lamiæ viuum puerum extrahat aluo.
Centuriæ seniorum agitant expertia frugis:.
Celsi prætereunt austera poemata Rhamnes.
Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.
Lectorem delectando, pariterque monendo.
Hic meret æra liber Sosijs: hic & mare transit,
Et longum noto scriptori prorogat æuum.

SCHOLAE.

Hoc in loco nouum est præceptum, nouum problema poëticum, noua κατάληψις, noua comprehensio. est autem hæc κατάληψις διαιρετικὴ, præceptum diuisionis habens. proponit enim tres fines poëtarum, & propterea etiam tria poematum & poetarum genera. quorum primum, finem propositum habet docere: alterum, delectare: tertium, & docere, & delectare. quam diuisionem hoc modo instituere possumus, ut omnem poetarum finem dicamus esse uel simplicem, uel compositum. Simplicem, aut solum docere, aut solum delectare. Compositum, simul & docere & delectare. Hanc diuisionẽ sequitur ἐπιδιήλωσις, & ἐπιδιήλωσιν διάιρεσις, res diuersas, generibus personarum distinguens. Pro-

deſſe.) Primum genus poetarum. quod tantum uult prodeſſe. quod ſolum habet res utiles, tradit genera herbarũ, deſcribit ſigna cœleſtia, & ſimilia, unumq; finem habet propoſitum, docere uidelicet. Delectare.) Alterum genus poetarum, cuius finis eſt delectatio. Aut ſimul.) Tertium genus, quod ſimul uult dicere & iucunda & idonea, hoc eſt, & docere, & delectare. quæ tamen duo non ſemper, nec omnibus in locis coniunguntur: ſed ſæpè ſeorſim ac ſeparatim reperiuntur. Sic Horatius Ode 9. lib. 3. Carm. ſolum habet uoluptatem, nullam ſententiam de moribus. Cuius generis multæ ſunt odæ. Aliquando ſolum docet, quemadmodum in multis epiſtolis facit in aliquibus etiam odis. in quibus tantum exponit res geſtas: ſolum habet narrationes, & tractat res utiles. ut eſt ode 10. lib. 2. Carm. in qua laudat mediocritatem. Interdum & docet & delectat, ut ode 11. lib. 1. Carm. ubi in principio docet eluuionem Tiberis: poſtea uero adulatur Cæſari Auguſto, & captat beneuolentiam ſuorum ciuium. Quanquam autem alicubi uidetur bono poetæ ſolum unum finem propoſitum eſſe, docere uidelicet: tamen idipſum non facit abſq; uoluptate. docendo enim delectat, genere uerborum, numero, breuitate ipſius propoſitionis. Quicquid.) Explicat partem primam diuiſionis, & oſtendit quomodo docendum. Præcipies.) Docebis utilitatis cauſſa. docere enim eſt præcepta uitæ tradere.

dere. Breuis.) Verbis & intelligentia. Illud uere breue est, quod est apertũ & dilucidũ, quod nõ requirit moram ad intelligendum, quod simulac pronunciatum est, intelligitur. Dociles.) Qui doceri possunt, ut sunt animi prudentium & ingeniosorum. Citò.) Breuiter dicta. Percipiant.) intelligant. Teneant.) Memoriæ mandent. Tria necessaria in breuitate. uerborum paucitas: perspicua intelligentia: memoria. hæc iuuatur breuitate, intelligentia, utilitate rerum quando uidelicet ea quæ præcipiuntur, sunt utilia. Superuacuum.) copiosum. Manat.) effluit, obruta sc. memoria & intelligentia. ubi enim intelligentia obruitur nimis multis præceptis, statim succedit obliuio, & intelligentia ac memoria perit. De pectore pleno.) Nõ solum docentis, uerum etiam discentis. & magis loquitur de pleno pectore ipsius auditoris & discipuli, quam doctoris & poetæ. Ficta.) Explanat partem secundam diuisionis, & ostendit exemplo, quomodo delectatio sit instituenda. Ficta.) fabulæ, poemata, poesis, argumenta poetica. Proxima ueris.) Verisimilia probabilia. non debent esse incredibilia, non ἀδύνατα. Quodcunq;.) figmentũ quam cunq; fictionem. Aluo.) Ex aluo, adhuc uiuum. Pransæ.) Quæ comedit puerum in prandio. deuorare enim puerum, & inde ex uentre uiuum extrahere, horribile est, & idcirco incredibile. Sic si introducas Atrea, in conspectu populi necantem &

euiscerantem nepotes, coquentem & apponentem eosdem fratri, & fratrem uescentem illa carne. res erit ἄπιστος supra fidem. ergo non producenda in proscenium, sed solum recitanda. Centuriæ.) διάκρισις, ostendens eos, qui docent, placere senibus. qui delectant, iuuenibus. qui docent simul & delectant, omnibus. Agitant.) Vituperant, condemnant. Expertia frugis.) inutilia, solum delectantia. Senes non delectantur choreis, non saltationibus, non pompa uerborũ. omnia enim illa sunt expertia frugis, id est, remota sunt, ab utilitate & commodis humanæ uitæ. Rhamnes.) Rhamnensem tribum accipit pro omnibus ciuibus ætatis iuuenilis. Celsi.) Erectis corporibus & animis. qui uolunt quasi ex alto intueri, & altum quiddam sapiunt, ac magna cogitant. Austera.) Quæ solum docent. quæ solum præcipiunt. Si uis esse rex, inquiunt, dabo tibi imperium: rege te ipsum. illud præceptum mihi est austerum. Centuriæ seniorum laudant huiusmodi uersus,

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt.

Hic tibi præcipuè sit pura mente colendus. &c. Iuuenes econtra contemnunt, & coguntur uirgis, ut illos memoriæ mandent. Punctum.) Tulit suffragium & laudem omnium ætatum, qui simul delectat & utilis est. Meret.) Obtinet, adipiscitur. Aera.) argentum, lucrum. Sosijs.) Librarijs. Transit.) sua fama, laudibus. Noto.) Nobili scriptori. Aeuum.)

aum.) Facit ut diu uiuat, Facit eum immortalem.

TEXTVS

Sunt delicta tamen, quibus ignouisse uelimus.
Nã neq; chorda sonũ reddit quẽ uult manus, & mẽs,
Poscentiq́ue grauem persæpé remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcunq́ue minabitur, arcus.
Verum, vbi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis: quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cauit natura. quid ergo?
Vt scriptor si peccat idem librarius vsq́ue,
Quamuis est monitus, venia caret. & citharœdus
Ridetur, chorda qui semper oberrat eadem.
Sic mihi qui multum cessat, fit Cherilus ille,
Quem bis, terq́ue bonum cum risu miror: & idem
Indignor, quandoq; bonus dormitat Homerus:
Verum opere in longo fas est obrepere somnum.

SCHOLAE.

Quoniam difficile est & arduum, hæc duo simul cum laude pertractare, munus sc. docẽdi & delectandi hoc loco ostendit quibusdam uitijs esse ignoscendũ & tria poetarum errata recenset, quorum primum est eorum qui ubiq; sunt uitiosi, quemadmodum Cyclicus ille, cuius supra meminit. II. eorum qui magna in parte peccant: tria tantum aut quatuor habentes loca clara. Sicuti Cherilus ille, qui propter duos uel tres locos insignes, placuit Alexandro Magno de quo dicit Horatius, se illum irridere cum admiratione, & mirari eius stultitiam, quod uelit propter unum atq; alterum locum uideri poeta. Meminit etiam huius Cherili lib. II. Epistolarum, epist. I. his uerbis:

Gratus

Gratus Alexandro regi Magno fuit ille
Cherilus, incultis qui uersibus, & male natis
Rettulit acceptos, regale nummisma, Philippos.

III. Homericorum, id est, bonorum poetarum, qui aliquando iustò sunt remissiores.

Delicta.) Errata ἁμαρτήματα poetarũ. ἁμάρτυμα est peccatum quod ueniam meretur, quod dignum est æquitate. ἀδίκημα est flagitium, scelus quod ueniam non meretur. Ignouisse.) Veniam dare. Nam neq;.) Quibus dam uitijs esse ignoscendũ. Probat duplici simili uno à Cytharœdis sumpto, altero à sagittarijs. Chorda.) Cytharæ, testudinis, lyræ. Manus.) digiti. Mens.) propositum Cytharœdi. hoc breuiter est docere, propositionem probauit uno uersu, quam tamen sequenti magis illustrat. Remittit.) chordã. Acutum.) Grauem sonum, accentum. Nec semper.) Alterum simile. Quodcunq;.) In quemcunq; scopũ arcus collimabit. arcum uocat hoc loco sagittarium. Nitent plura.) Insignes sunt plures loci & laudabiles. Maculis.) Erratis. Incuria.) Animus solutus curis. Incuriam non uocat negligentiam aut desidiam, sed curam neglectam, curam non perfectã, curæ remissionem. Fudit.) Subito, ex tempore. Natura.) Imbecillitas ingenij, iudicij. Vt scriptor.) Hactenus errata bona, quæ habent ueniam. sequuntur errata, quæ ueniam non merentur, perpetua similitudine explicata. Librarius scriptor.) librarius qui

scribit

ſcribit libros, ſcriba librorum. Idem.) *in eadem periodo, in etymologia uocabulorum, in diuiſione periodorum.* Monitus.) *à Grammaticis, de uitio ſuo.* Sic mihi.) Accomodatio ſimilitudinis. Ceſſat.) *Qui ignauus eſt multis in locis.* Cherilus.) Poeta Alexandri Magni. Miror.) *Ridens mirabiliter illum poetam egregium.* Et idem indignor.) *Hoc in loco, uerum eſt exemplum διαιρέσεως: quidam ita diſtinguunt. & idem indignor. quandoque bonus dormitat* Homerus. *ut indignor referatur ad Cherilum, & reliqua ſeorſim legantur per ἀντίθεσιν.* Homerus interdum peccat, *eſt aliquando ſcriptor otioſus & remiſſior. Eruditiores autẽ ſic legunt. & idem indignor quandoq; bonus dormitat* Homerus. *ut indignor tribuatur* Homero, non Cherilo: *& quandoque pro quandocunq; ponatur. in utraque διαιρέσει ſententia eſt bona.*

TEXTVS.

Vt pictura poeſis erit, quæ, ſi propius ſtes,
Te capiat magis: & quædam ſi longius abſtes.
Hæc amat obſcurum: volet hæc ſub luce videri,
Iudicis argutum quæ non formidat acumen.
Hæc placuit ſemel: hæc decies repetita placebit.

SCHOLAE.

Cum omnis actio propoſitum habeat aliquem finem, quo homines ad agendum excitentur. finis autem poetarũ & omnis poeſeos ſit laus perfecta, quæ, niſi opere aut carmine perfecto, comparari nequeat.

bis uersibus, & aliquot sequentibus, excitare uult Horatius ingenia poetarum, ad studium uehemens, & acrem exercitationem, in carminibus scribendis, & ijsdem etiam elimandis. confert igitur hoc loco poesin cum pictura, & ostendit notam propriam boni & perfecti poetæ, absoluti poematis, consummatæ poeseos: & notam etiam poetæ imperfecti & illaudati. est autem boni poematis nota, nullum iudicem reformidare, nullius limã extimescere, delectare, non semel, sed decies, non decies, sed semper. ut cõtra mali poetæ & uersificatoris, amare obscurum, semel placere, semel legi. quoties repetis Homerum, Virgilium, Horatium, Pindarũ, Sophoclem, Aeschylum, & similes: toties aliquid animaduertis, quod antea non obseruasti: uel in ipso argumento, uel in ipsis uocabulis, uel in sententijs uel in earundam ἐργασίᾳ tractatione. Sic qui Terentium legit cum iudicio, semper habet aliquid noui quod consyderet, inuenit aliquid, quod prima, secunda, tertia, quarta lectione nõ obseruauit. Vt pictura.) Duo genera picturarum tradit. unum, cuius imagines & tabulæ pictæ placent procul. alterũ, quod placet propè inspicienti: quod delectat propè intuentẽ, quod afficit quocunq; loco stantem & cõtemplantem. Illud, satis est, semel inspexisse, nemo postulat rursum uidere. hoc, quò, sæpius inspexeris & consyderaueris, eò te magis delectabit, si artis sis peritus. Vt pictura.) qualis conditio picturæ,

ræ, talis et poeseos. quæ ratio tabulæ pictæ, eadem carminis erit modulati & conscripti. Quæ, si.) Picturæ *pars una, species una, Forma una, unum genus.*

Capiet.) Delectabit, detinebit, retinebit, afficiet. *Et quædam.)* Altera picturarum seu imaginum forma. *Longius.)* Procul stans. tum enim uides, cui imago sit similis quem exprimat. si propius accedas, non uides, nõ cernis similia, sed uides colorem crassum & umbras nimium obscuras. *Hæc amat.)* Hactenus diuisio. pictura propè delectans, pictura procul delectãs sequitur διάκρισις, distinctio. Poetæ erant peritissimi διακριτικοὶ, non solùm suarum, sed cæterarum quoq; artium. *Hæc.)* quæ procul delectat. *Obscurum.)* Amat lucem obscuram. formidat solem. *Hæc.)* altera, quæ propè delectat. *Sub luce.)* In lumine. hæc lumen & ueritatem amat, altera obscuritatem & tenebras. *Acumen.)* Sententiam acutam, artificiosam, literatam. *Argutum.)* Argutum hoc loco significat subtile, & sua subtilitate perfectũ. Iudicis.) Aristarchi grammatici iudicantis. *Hæc placebit.)* Quæ propè uult intueri. propè intueri est carmen resoluere, argumentũ carminis inspicere, & uidere an sit ἠθικὸν, an φυσικὸν, an λογικὸν, &c. ad quam artem referatur, ad quod genus rerum pertineat. inspicere item sententias, & earum tractationem, dissoluere easdem ac reducere ad suum ordinem. deinde propè intueri est genus uerborum consy-

derare,

derare, et uidere cuiusmodi sint uerba, propriáne, an translata, translationésne usitatæ, an ab autore factæ. uerbi gratia, Ode 10. lib. 2. carm. habet argmentum ἠθικὸν, docet retinendam esse æquitatem in omnibus rebus, tutissimum genus Vitæ in mediocritate cõsistere. sententiæ eiusdem Odæ sunt suaues sunt delectantes, ἐφυάδιαι, scil. tractatio enim est pulcherrima. incipit ab ipsa ἐννοίᾳ, à sententia:

Rectius uiues, Licini, neq; altum
Semper urgendo: neq; dum procellas
Cautus horrescis, nimium premendo
Litus iniquum.

Qui omnes sententias percurret, uidebit huius Odæ tractationem esse παραβολικὴν, id est, habere perpetuas similitudines & metaphoras. Rectius uiues.) Propria sunt uerba. Neque altum.) Sententiæ sunt allegoricæ. altum enim urgere, est pericula adire, periculosum uitæ genus instituere, uelle in aula uersari, consilium dare regibus, imperare. &c. Tertiò, propè intueri est consyderare genus carminis, ipsum numerum & harmoniam, cõcursum uocum & uerborum, uocalium & consonantium. Hoc est propè aspicere, in penetralia poetæ penetrare & uidere carminis præcordia. Placuit.) Lecta. Decies.) Sæpè. hæc est uera poesis, hi ueri sunt poetæ, & horum poetarum libri habent genios, id est, sunt immortales.

TEXTVS

O maior

O maior iuuenum quamuis & uoce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis: hoc tibi dictum
Tolle memor: certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi. consultus iuris, & actor
Causarum mediocris, abest uirtute diserti
Messalæ: nescit quantum Cascellius, Aulus:
Sed tamen in pretio est. mediocribus esse poetis
Non homines, non Dij, non concessere columnæ.

SCHOLAE.

Tria sunt genera poematum. heroicum, epicum, bucolicum. Heroicum habet ἀξίωμα, grauitatem, dignitatem. Epicum habet quandam mediocritatem, seu medium quoddam genus dicendi. Bucolicum uersatur in humili dicendi genere, & quotidiano sermoni est simile. Theocritus contentus suis Eidyllijs, scripsit carmen Bucolicum. Hesiodus persecutus medium genus dicendi, scripsit ἔργα καὶ ἡμέρας, & alia quædam, sed his duobus generibus non contenti uel Homerus, uel Virgilius, omnia sunt persecuti orationum genera & omne genus dicendi. quod autem hoc loco dicitur poetis non licere esse mediocribus, sed eos oportere esse excellentes, non solum intelligendum est de genere dicendi grandiloquo, seu de illo genere poetarum qui uocantur ἀξιωματικοὶ, & summam sectantur dignitatem, quales sunt heroici: uerum etiam de reliquis duobus poetarum generibus, epicis uidelicet, & bucolicis. æquè enim hi perfecti sunt & excellentes in suo genere, atq; Heroici. Ma-

ior.) Duorum fratrum. quem ætatis, ingenij, honoris cauſſa nomino. Voce.) Præceptis paternis. Ad rectum.) Virtutem, laudem & decus. Per te.) tuapte natura ſapis. Duo ponit, quæ maxime poetam faciunt. naturam uidelicet, & artem. per ſe ſapere, eſt naturæ. fingi eſt artis, arte enim fingimur, id eſt, informamur. Dictum.) hanc ſententiã. Tolle memor.) Teneas perpetua memoria, admitte in ſinũ tui pectoris. Certis.) Certas diſciplinas cõtentas eſſe mediocri perfectione, poẽſin non item, exemplo probat Iuriſconſultorum. Rebus.) artibus. Medium.) laus mediocris. Tolerabile.) iudicio hominum. Actor.) Orator in foro & iudicio. Mediocris.) mediam tenens laudem. Virtute.) laude, perfectione Meſſallæ, qui eſt laudatiſsimus in hac ciuitate. Neſcit.) Aulus non poteſt tantum, quantum Caſcellius. Homines.) Literati uiri: interpretes poetarum. Dij.) non Muſæ, nõ ipſe Apollo præſes muſarum. Columnæ.) bibliothecæ, uenditores atq; emptores. pars pro toto ponitur. columnis enim affixæ erant bibliothecæ.

TEXTVS.

Vt gratas inter menſas Symphonia diſcors,
Et craſſum vnguentũ, & Sardo cum melle papauer
Offendunt: poterat duci quia cœna ſine iſtis:
Sic animis natum, inuentumq́ue poema iuuandis
Si paullum ſummo diſceſſit, vergit ad imum.

SCHOLAE.

Oſtendit paulo antè, bonæ poẽſcos indicium eſſe decies

decies placere, non metuere acumen argutum iudicis, hoc loco propriam notam malæ poeseos persequitur, & poema malum seu uitiosum esse ait id, cui aliquid demi uel detrahi potest, probat hoc duplici simili. uno à musica, altero à cœna sumpto. Quemadmodum enim, inquit, musica, cantus, fides, dum habent aliquid dissonum, non placent. & ea cœna grata est, quæ habet lactucam suauem, salubres carnes, bellaria salubria: contra uerò ea displicet, quæ habet cibum aliquem non salubrem, non suauem, non sanum, non necessarium. Sic carmẽ, quamdiu aliquid habet, quod displicet, & auferri potest, tamdiu non est perfectũ, nec placere potest. Mensas.) Conuiuia. Gratas.) lætas. quicquid gratum est, lætitiam adfert & hilaritatem cuius caussa conuiuium est institutum. Symphonia.) Musica, cantus discors, qui affert tristitiã. Oportet musicos & Psalteria sua, & fides, ita tractare, ut Symphonia sit perfecta. Crassum.) Non enim utile est ad sanitatẽ, nec suaue ad odorem, quamdiu crassum est. per crassum intelligit non purum. illa unguenta odorifera laudantur, quæ liquida sunt, quæ pura, quæ lucida. Sardo.) mel amarum, non iucundum, non suaue. allatum ex Sardinia insula. bonus poeta non prius aufert stylum à carmine, quam diu uidet aliquid crassi unguenti, & Sardinij mellis. quam diu illa uidet, tamdiu non edit in lucem. malus poeta omnia hæc relinquit. Duci.) Extrahi in longũ

tempus, in multas horas. Sine istis.) tanquam superfluis, nec ad uoluptatem aut sanitatem facientibus. Iuuandis.) uoluptate & utilitate. poemata enim sũt quædam adiumenta ad uoluptatem & utilitatem. Summo.) à sua idea. in carmine heroico, ab idea heroum: in pastorali, ab idea pastorum: in epico, ab idea mediocri & medio dicendi genere. à summa uidelicet laude, ad summam uituperationem.

TEXTVS.

Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis:
Indoctusque pilæ, discive, trochive quiescit:
Ne spissæ risum tollant impunè coronæ.
Qui nescit, versus tamen audet fingere. quid ni?
Liber, & ingenuus, præsertim census equestrem
Summam nummorum, uitioque remotus ab omni.
Tu nihil inuita dices, faciesue Minerua:
Id tibi iudicium est, ea mens. Si quid tamen olim
Scripseris, in Meci descendat iudicis aureis,
Et patris, & nostras: nonumque prematur in annũ.
Membranis intus positis delere licebit,
Quod non ediderís: nescit uox missa reuerti.

SCHOLAE.

Horatius hactenus ostendit, quid sit differentiæ et discriminis inter poesin perfectam, & imperfectã. Perfectam esse ait, quæ nullius grammatici, nullius Aristarchi & poetæ formidet iudicium, quæ se patiatur propè spectari, id est, quæ patiatur ἀνάκυσιν poeticam, cuius sc. poeseos argumentum, uerba, sententiæ, uerborum & sententiarum ornamenta placeant,

ceant, cui nihil deſit, nihil etiam addi poſsit, quæ decies repetita placeat. Contra imperfectam eſſe eam, quam ſatis ſit ſemel legiſſe, quam non opus ſit iterare, quæ uelit ſpectari procul, id eſt, non patiatur ſe reſolui, non admittat ἀνάλυσιν, poeticam, quæ ſit ueluti pictura abſque colore, ueluti pictura ſordidata, quæ procul pulchra uideatur, cominus ſit deformis. Huius poeſeos proprias notas poſuit. I. Symphoniam diſcordem, id eſt, ſtridorem & ſtrepitum poeticum. in quo non ſit poeticus ſonus & εὐρυθμία, id eſt, numerus ſuauis. II. Craſſum unguentum, id eſt, ornatum impurum. III. Papauer cum melle Sardo, id eſt, ſententias ſordidas. Et ſic per Symphoniam diſcordem, numerum intellexit uitioſum. per unguenta craſſa, ornamenta non expolita, non elimata, lima boni poetæ. per papauer cum melle ſardinio, quod erat amarum, ſententias amaras, non ſuaues, non ex lætis rebus cõſtantes. De his igitur hactenus, ſequitur iam ἐπιτίμησις poetica, habens annexam ἀντίθεσιν, & eiuſdem refutationem. Ludere.) genera ludorum. qui omnibus generibus ludorum non eſt exercitatus. Campeſtribus.) armis campi Martij. Vocat autem arma, quæ adhibentur in exercitijs huiuſmodi, ut ſunt haſtæ, ut diſcus, ut trochus. Quieſcit.) non ludit. Coronæ.) ſpectatores, circum circa ſpectantes. Spiſſæ.) frequentes, cõdenſatæ. Tollant.) Tollere riſum, eſt altè

ridere. Impune.) Conceſſum, legitimum, qui legibus non poteſt uindicari. Qui neſcit.) Hactenus ἐπαγωγὴ inductio. Quam quis artem ignorat, illam non exercet, nec profitetur, nam in campo Martio nemo ludit, nemo certat, nemo ſe exercet, qui non peritus eſt eorum ludorum, qui ibidem exercentur. nemo uertit trochum, id eſt, rotam, niſi peritus rotandi. nemo diſco certat, niſi exercitatus, nemo pila, niſi doctus. Sequitur iam concluſio per contrarium, uitu peratione facta. qui neſcit, uerſus tamen audet ſcribere. multi indocti poetæ uerſus faciunt. eſt querela deplorans uitium ſuæ ætatis. Quidni.) ἀντίθεσις. Multum facit ad uerſus bonos & ſuaues cõficiendos, Si quis ſit liber, ingenuus, conſularis, nummatus, ditiſſimus. triſtitia non facit bonos uerſus. Quidni.) Cur nõ fingeret. Cenſus.) æſtimatus poſſidere. Summam equeſtrem.) Quadringenta milia ſeſtertiorum æris. hic enim erat cẽſus ordinis equeſtris. Tu nihil.) Poſt cauſſas falſas, ſequuntur cauſſæ ueræ. natura uidelicet, ars, diligentia in elimando. natura dat acumen: ars iudicium in rebus atq; uerbis: diligentia facit perfectionem & abſolutionem. Aliquid iuuat ingenuum eſſe & liberum, nihil debere, non eſſe obæratum. ſed niſi tria illa acceſſerint, natura, ars & cura, imperfectum erit quicquid tandem componetur. Tu) ô maior iuuenum, ſi te rectè noui. Inuita Minerua.) Repugnante natura. Duo hîc ſunt conſyderanda.

deranda. Nescire. & Inuita Minerua. quorum alterum ignorationem artis notat: alterum naturam alienam ab arte poetica. quæ duo corrumpunt poema & totam eius compositionem. Vnde apparet, ad cõparandam perfectam facultatem poetices, naturam idoneam, & artis cognitionem, necessariò requiri. Sed quoniam non satis est, præditum esse natura bona, instructum esse scientia, nisi etiam accedat ipsa scriptio, id est, exercitatio & cura in emendando. Horatius statim subiungit:

Si quid tamen olim
Scripseris, in Meci descendat iudicis aures,
Et patris, & nostras: nonumq; prematur in annum.

quibus uersibus monet. poema nõ præpropere in lucem emittendũ, sed tam diu elimandum, quamdiu habeas aliquid, quod possit emendari, corrigi, castigari. Qui facit istud, & poema suum nonum premit in annum, is bonum carmen conficit. Iudicium.) De Minerua, de ingenio. Mens.) Ea uoluntas. Scio tibi ingenium esse, Scio te artem tenere, sed tamen subitò non potes carmen facere. Olim.) Posthac. Meci.) Poetæ, hominis periti. qui unus harum rerũ intelligens est, qui iudicare potest de bona poesi. Non satis est habere naturam bonam, instructum esse scientia. exercitationem oportet accedere & stylum. nec hoc satis, nisi iudicem & arbitrum adhibeas. Aureis.) Cognitionem. Mecius cognoscat uersus. Pa-

tris.) Pater est qui amat filium, patri curæ est honos filij & existimatio, charitas patris nõ negligit filiũ, sed est sollicita de filio. Nostras.) non uno iudice sis contentus, adde alterum, tertium, homines bene notos. Prematur.) Recondatur. diligenter scribere, annos nouem emendare, notat tempus satis magnum. Delere,) Vitiosa, licebit lituras facere, licebit auferre quæ uoles, uel superuacanea, uel deteriora. quorum illa detrahenda, hæc mutanda cum melioribus. Oportet te uidere an omnia bene sint collocata, an aliquid transponendum in alium locum, an sententiæ sint bonæ, & si bonæ, an possis habere meliores. si obscuræ, si non satis probatæ, an possis habere alias. deniq; quam diu melius aliquid inuenire poteris, tam diu non pones è manu stylum, & tantis perseuabis poema, quamdiu tibi elimatio non placebit. Membranis.) uersibus in clusis in arcis bibliothecæ. continens pro contento. Positis.) Ponere & reponere sunt cõtraria. qui auditores sunt, non solum audiunt, sed componunt etiam, & quod compositum est, reponunt. Non ederis.) quæ recondita sunt & emendata decies, illa diuulgantur postea. Nescit.) Sed nescit. Vox.) poetæ, in fistula bucolica audita & cognita. Reuerti.) non potest reuocari. uolat irreuocabile uerbum. Vox emissa uel laudatum, uel uituperabilem facit poetam.

Textus

TEXTVS.

Siluestreis homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & uictu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigreis, rapidosque leones.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere quo vellet. fuit hæc sapientia quondam:
Publica priuatis secernere, sacra profanis:
Concubitu prohibere vago: dare iura maritis:
Oppida moliri: leges incidere ligno.
Sic honor, & nomen diuinis uatibus, atque
Carminibus uenit. post hos insignis Homerus,
Tyrtæusque mares animos in Martia bella
Versibus exacuit. dictæ per carmina sortes,
Et uitæ monstrata uia est: & gratia Regum
Pierijs tentata modis, ludusque repertus,
Et longorum operum finis: ne forte pudori
Sit tibi Musa lyræ solers, & cantor Apollo.

SCHOLAE.

Manet in illa tractatione. Mediocribus esse poetis, Non homines, non Dij, non concessere columnæ: & habitum ostendit excellentis poetæ in Orpheo, Amphione, Homero, Tyrtæo & Lyricis poetis. qui omnes suam quandam habẽt excellentiam. Orpheus & Amphion in suis uersibus ἠθικοῖς de moribus: Homerus & Tyrtæus in uersibus militaribus. Sacer.) sanctus poeta. sacer sc. uirtute, sanctimonia, innocentia. ille fuit excellens, ut pro sacro sancto, & ipse, & carmen eius haberetur. Interpres.) quasi alter Mercurius. quod Mercurius in cælo inter Deos, hoc Orpheus in terris inter homines. Poeta igitur erit

ſcriptor ſacer, & Deorum interpres. Eſt ſententia ὁριστικὴ. *Silueſtreis.) primos homines: Cædibus.) ab homicidijs & latrocinijs. Victu.) Victus eſt quicquid ad uitam pertinet, cibus uidelicet & ueſtitus. Fœdo.) intemperante, ſordido, inſalubri, abſq; iudicio adhibito. Fœdus uictus eſt contrarius uictui eleganti. Tigres.) homines feroces. Amphion.) dux Thebanorum doctiſſimus & ſapientiſſimus. Mouere.) efficere, ut ſeſe ſequerentur. Sapientia.) Sapientum fuit iſtud officium. Publica.) bona. Priuatis.) ſingulorum bonis. ſunt officia Iurisperitorum, legislatorum. Concubitu.) uagis libidinibus, cogere homines matrimonia colere, & coire bonis legibus. Maritis.) Præſcribere officia maritis, ne habeant quamuis poteſtatem in uxores. Iura.) tractandæ uxoris, educandorum liberorum, adminiſtrandæ rei familiaris. Moliri.) Condere. incidere.) ponere, promulgare. Venit.) inuentus eſt. Diuinis.) quod uates ſint dicti Dij, alludit ad locum Platonis de legibus, ubi Tyrtæum cum Attico ciue introducit loquẽtem: O diuine Tyrtæe. Sic à Platone Tyrtæus uocatur diuinus. & ille apud Virgilium: At tu diuine poeta. hinc factum, quod ipſi poetæ non homines, ſed dij uocentur, non mortales, ſed immortales. Poſt hos.) Hactenus poetæ ἠθικοὶ, Orpheus & Amphion, qui ſcripſerunt de moribus & leges tradiderunt. ſequuntur ſecundarij, heroici uidelicet. Inſignis.)*

signis præ alijs excellens. Tyrtæus.) *poeta græcus heroicus, qui celebrauit heroas, præclaros uiros.* Mares.) *animos heroicos, cordatos.* Egregiè *cordatus homo* Catus Aelius Sextus, *id est, masculus animus, masculum cor* Aelij. Bella.) *arma.* Exacuit.) *commemoratione rerum gestarum,* Sortes.) *Sibyllinæ. Deorum secreta, concilia, oracula sunt tractata carminibus,* Et.) *ergo,* Monstrata.) *ab* Orpheo & Amphione. *facit quasi conclusionē superiorum.* Via.) Ratio uiuendi *est tradita.* Tentata.) *ab* Homero. Modis pierijs.) *numeris poeticis.* Modos *uocat numerū.* Ludus.) Cithara barbiton, *testudo, ludicri uersus, lyricorum poemata.* Operum.) *laborum. uersus enim* Lyrici *sunt solamina post longos labores. & propterea* Horatius *suum barbiton uocat solamen dulce laborum.* Ne forte.) *hortatur ad Lyricum studium.* Sit pudori.) *ne te maiorem iuuenum pudeat musæ lyricæ.* Cantor.) *præses chori, præses musarū. qui præses est in monte* Helicone.

TEXTVS.

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quæsitum est. ego nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingenium: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.
Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer: sudauit & alsit:
Abstinuit Venere & uino. qui Pythia cantat
Tibicen, didicit prius, extimuitq; magistrum.
Nunc satis est dixisse, ego mira poemata pango.

Occupet

Occupet extremum scabies. mihi turpe relinqui est.
Et, quod non didici, sane nescire fateri.

SCHOLAE.

Hactenus acutè artem commendauit, Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis. acute laudauit Mineruam seu ingenium, Tu nihil inuita dices. facies ne Minerua. Commendauit etiam diligentiam, non numq; prematur in annum. hoc loco eadem resumit, & tractat διανεστικῶς, sed absque προτιμήσει, non alterum alteri præferens, sed docens æquè necessariam esse naturam atq; artem, & econtra. his subiungit tertium, exercitationem & diligentiam. Natura.) autore natura, id est, an causa efficiens boni carminis sit natura, an ars. Studium.) laborem artificiosum. studium artis cognoscendæ, factitandæ, exercendæ. Vena.) natura. ubi non est uena auri, ibi non inuenitur aurum. pari ratione, si uis aureos uersus facere, aueam uenam habeas oportet. Rude.) Imperitum artis. Sic.) usq; adeo coniurant inter se. Qui studet.) Reprehensio, ostendens Musicos & cantores adhibere diligentiam, poetas non item. est comparatio à similibus studijs. Metam.) in periculo. Magistrum.) perfectum, doctorem artis. Dixisse.) Se ipsum laudare.

TEXTVS

Vt præco, ad merces turbam qui cogit emendas,
Assentatores iubet ad lucrum ire poeta
Diues agris, diues positis in fœnore nummis.
Si uero est, unctum qui recté ponere possit,

Et

Et spondere leui pro paupere, & eripere atris
Litibus implicitum: mirabor, si sciet inter
Noscere mendacem, verumq; beatus amicum,
Tu seu donaris, seu quid donare voles cui:
Nolito ad versus tibi factos ducere plenum
Lætitiæ: clamabit enim pulchrè, benè, rectè:
Palleſcet super his: etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem: ſaliet, tundet pede terram.
Vt, qui conducti plorant in funere, dicunt,
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo: Sic
Derisor uero plus laudatore mouetur.
Reges dicuntur multis vrgere cubullis,
Et torquere mero, quem perspexisse laborant.
An sit amicitia dignus. Si carmina condes,
Nunquam te fallant animi sub uulpe latentes.
Quinctilio si quid recitares, corrige, Sodes,
Hoc, aiebat, & hoc: melius te posse negares
Bis, terque expertum frustra: delere iubebat.
Et male tornatos incudi reddere versus.
Si defendere delictum. quam vertere, malles:
Nullum vltra verbum, aut operam sumebat inanē,
Quin sine riuali teque & tua solus amares.

SCHOLAE.

Ad comparandam perfectam facultatem poetices inprimis necessaria est natura. deinde ars seu doctrina. qui enim laudem uult inuenire, eum oportet tenere rationem, quæ iuuet ipsam naturam, & quasi ducat ad montem Heliconis. *Hæ duæ causſæ sunt efficientes poetam. sed neutra harū est absoluta & perfecta. utraq; est causſa sine qua non. ubi enim natura non est, ibi uersus non sunt boni, nec bonus poeta. ubi ars sola est, item imperfectum est carmen, imper-*

fecta

fecta facultas. Sed hæc duo coniuncta, efficiunt poetam, & sunt causſæ absolutæ, non tamen plane, oportet accedere tertiam causſam, diligentiam uidelicet, oportet naturam diligenter tueri, uitando crapulam: intempestiua studia, curiosas actiones. Ars cognoscenda est diligenter, legendis optimis scriptoribus. non satis est cognouisse Despauterium, aut Murmellium, aut quemuis alium grammaticum, qui ostendit genera uersuum & pedum. addendi sũt difficiliores scriptores, legendi sunt Aristotelis libri. quos scripsit de arte dicendi, nec solum legendi, sed adhibenda etiam obseruatio & analysis poetarũ. oportet te cognoscere Comœdias Terentianas & Plautinas, uidere quid in ijs sit natiuum, quid à græcis sumptum atq; translatum, quid artificiose inuentum & diligenter animaduertere, quamobrem Terentius arte præstet Plauto. Interpretes poetarum dicunt Bucolica Virgilij esse perfecta, Georgica elimata, at Aeneida uoluisse Virgilium comburi, quoniam non fuerint perfecta: seruata tamen esse ab Augusto, & aliquo modo correcta. qui uidere potest, quid in Aeneide Virgilij sit elimatum, quid perfectum, is artem diligenter cognouit. Quemadmodum autem opus est diligentia, in arte obseruanda, in legendis & resoluendis poetis: ita etiam in emendatione carminis, quod non solum est conficiendum, sed perficiendum, elimandum, & nonum in annum premendum. Postremò

ſtremò opus eſt etiam diligentia in comparando magiſtro & emendatore. hoc loco igitur docet artificem eligendum eſſe bonum, ſeuerum, acrem. emendatores ueros eſſe comparandos, non adulatores. Vt *præco.)* Poëtam *quaſi præconem eſſe dicit.* Turbã.) *Quamuis, modo habeat pecuniam. nulli emptores magis placent mercatoribus quàm ſtulti. poëta qui cupit habere ſtultos iudices, eſt ipſis iudicibus ſtultior. Mercator ſi ſtultos habeat emptores, facit lucrũ. poëta adhibens ſtultos iudices, uenditat ſuam ſtultitiam. Non maius eſt uitium in homine, quam cupiditas laudis, ſed longè deterius eſt perſuaſio doctrinæ. non pudet nos hodie furtorum in faciendis ueriſibus. putamus homines tam negligentes eſſe, ut non uideant, ex quibus ueſtigijs ſint deſumpta. ego me nõ eximo, fateor meum uitium, fateantur alij etiam. nõ ſolum de carminibus loquor, ſed orationibus etiam & cæteris libris omnibus.* Poeta diues.) Locuples *qui habet pecuniam.* Ad lucrum.) *ad mercenariam auſcultationem, ex qua lucrum ſunt accepturi. pecuniam enim diſtribuebant ſuis auditoribus, & uenditabant ſua poëmata.* Si uerò eſt.) *ea fortuna.* Vnctũ.) Vnctam *cœnam, lautum & unctum conuiuam.* Mirabor.) *huuc poëtam.* Beatus.) Sibi. Tu ſeu donaris.) *oſtendit cuiusmodi auditor ſit adhibendus.* Donaris.) *donaueris heri aut nudius tertius.* Verſus.) *audiendos.* Lætitiæ.) *ſpe lucri, pecuniæ accipiendæ,*

cœnæ

cœnæ lautæ. Clamabit.) pulcherrima & plena de-
scriptio parasiti auditoris. Clamabit.) alta uoce.
Bene.) uere. Rectè.) artificioſe. Hic adulator scit uir
tutes boni carminis. pulchrum enim debet esse εὐφω-
νίαι, ſono uerborum, compoſitione, ornamentis.
bonum etiam esse debet, & rectum, id est, artificio-
ſum. Rorem.) lachrymas. Amicis.) Fauentibus &
ſtudioſis oculis. Saliet.) præ lætitia. Tundet.) pul-
ſabit. Vt, qui.) Confert auditores iſtos præficis, id
est mulieribus, quæ conducuntur, ut lachryment in
funere. Dicunt.) eiulantes. Faciunt.) tundendo pe-
ctus. Plura dolentibus.) Amicis, parentibus, cogna-
tis. Deriſor.) auditor adulans. qui uerbis adulatur.
re ipſa deridet. Reges.) Eſt comparatio. Reges ſunt
diligentes in amicis eligendis, poëtæ in emendatori-
bus comparandis non item. Vrgere.) inebriare uiros
bonos, ut quid ueri, quid falſi lateat in illis, cogno-
ſcant. Culullis.) plenis uino. torquere.) uſq; ad tor-
mina & ſummos cruciatus urgere. Amicitia.) pri-
uato conſilio. Si.) ſi igitur. Sub uulpe.) in cute uul-
pina. Quinctilio.) Hactenus adulator. iam uerus
emendator. Quinctilio.) grammatico: homini eru-
dito. Siquid.) Si quis quid recitaret. Sodes.) Si uis
conſilium meum ſequi, ſi uis rectè facere, Si audes, ſi
conſilium meum audis, Hoc.) hunc uerſum, hanc ſen-
tentiam, hunc numerum, hiatum uocalium & con-
ſonantium aſperarum. Hoc.) uerbum ineptum, hũc

orna-

ornatum. Negares.) si negares. Delere.) Delemus quæ tota delentur. Corrigimus, in quorũ locum meliora substituimus. Satius est hemistichium ponere, quam aliquid quod malum est. hemistichia Virgiliana ostendunt diligentiam Virgilij. Malè tornatos reddere incudi.) man můß sie besser drähen. est ἐναναλλαγία. tornatores habent suas rotas. fabri ferrarij suas incudes. Delictũ) uitium uersus. Si uis dicere. habeo imitationem Virgilij, & aliorum. Vertere.) mutare, delere. Nullum uerbum.) Quinctilius addidit. Riuali.) æmulo. nullum habebis æmulum.

TEXTVS.

Vir bonus, & prudens versus reprehendet inertes,
Culpabit duros, incomtis allinet atrum
Transuerso calamo signum, ambitiosa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget,
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit,
Fiet Aristarchus: nec dicet, cur ego amicum
Offendam in nugis. hæ nugæ seria ducent
In mala derisum, semel exceptumque sinistrè.

SCHOLAE.

Hactenus officium boni poetæ, non recusantis se corrigi. Sequitur nunc officium boni & prudentis emendatoris. quod in quatuor rebus consistit. I. in ἀφαιρέσει, ut tollat superuacanea. II. in προσθέσει, ut addat quæ desiderantur. III. in μεταβολῇ, ut commutet deteriora cum melioribus: minus significantia, minus plena, minus sonantia, cum significantio-

ribus, plenioribus. sonantioribus: sententias ineptas, cum acutis: stolidas, inutiles, non iucundas, cum artificiosis, utilibus, suauibus. IIII. *in μεταθέσει*. uerba enim in uersibus alio atque alio loco collocata, numerum faciunt meliorem. In his quatuor consistit officium boni emendatoris, boni grammatici, boni etiam & diligentis scriptoris. hæc ipsa in Quinctilio animaduertit Horatius, & pulcherrimè descripsit. Inertes.) Otiosos, sententia sc. in quibus nec consilium, nec uoluptas est, nec delectatio, nec utilitas: qui non assequuntur finem propositum poetæ. Duros.) *συνθέσει*: uocalium & consonantium asperarum concursu. Incomtis.) Ornamentis uerborum & sententiarum. Ambitiosa.) luxuriantia, nimis magnam laudem cupientia, superba, nimis grandiloqua, ut est ille uersus: Fortunam Priami cantabo & nobile bellum. Recidet.) quæ nimia ambitione tument & inflata sunt. In uersibus hæc tria sunt consyderanda. Sententiæ. compositio uerborum, modestia. Ambigue.) illiteratè, non facetè. Doctus habet uocabula ambigua elegantia, acuta, faceta. indoctus, infaceta. Duo sunt autem genera ambiguorum. *ἀμφίβολα & ὁμώνυμα*. hoc loco intelligit *ἀμφιβολίαν*. licet utroq; genere docti utantur: & ambigua apud Ciceronem in libro secundo de Oratore commendentur. Aristarchus.) uerus grammaticus. Amicum.) poetam. Hæ nugæ.)

uersus.

uersus. Mala seria.) in infamiam, ut poeta habeatur stultus. Sinistrè.) Sinistrè excipitur, qui reprehenditur, contemnitur, non dextra, sed sinistra ducitur, quod signum est contemptus.

TEXTVS.

Vt mala quem scabies, aut morbus regius vrget,
Aut fanaticus error, & iracunda Diana,
Vesanum tetigisse timent, fugiuntque poetam,
Qui sapiunt: agitant pueri, incautique sequuntur,
Hic, dum sublimeis versus ructatur, & errat:
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueamue: licet, succurrite, longum
Clamet, io, ciues: non sit qui tollere curet.
Si quis curet opem ferre, & demittere funem:
Qui scis, an prudens huc se deiecerit? atque
Seruari nolit? dicam, Siculique poetæ
Narrabo interitum. Deus immortalis haberi
Dum cupit Empedocles, ardentem frigidus Aetnã
Insiluit. Sit ius, liceatq; perire poetis.
Inuitum qui seruat, idem facit occidenti.
Nec semel hoc fecit: nec, si retractus erit, iam
Fiet homo, & ponet famosæ mortis amorem:

SCHOLAE.

Postquam Horatius exemplo Quinctilij doctissimi uiri ostendit, quod mali poetæ se emendare recusent: simul etiam ostendit officium boni emendatoris. nunc uenit ad descriptionem insani poetæ, cupiditate uanæ gloriæ laborantis. eumq; comparat scabiei, morbo regio, morbo fanatico, aucupi etiam in foueam aut puteum cadenti, & dicit, doctos uiros, hos

poetas ineptos uitare tanquam fanaticos. Error fanaticus.) quo homines in templis agitantur. Iracunda Diana.) qui sunt lunatici, id est, homines puniti ab ipsa Diana. Agitant.) Vexant, persequuntur eũ in plateis. Incauti.) ignari morbi, quo laborant. Sublimes.) ex loco sublimi, ambitiosos uersus. Pulcherrima est homonymia. est ambiguum uerbum sublimes sed laudabile. Significat enim locum sublimẽ, ex quo carmina recitabantur. Significat etiam uersus inflatos. huiusmodi homonymiæ faciunt uersus laudabiles. Ructatur.) nec scribit, nec canit, nec recitat, ut poeta. reprehendit uerba, sonum, uocem, pronunciationem. dum uult uideri doctus, apparet esse indoctus: dum uult delectare, fastidio enecat homines. Si ueluti.) Horatius delectatur similibus: aliquando unam similitudinem tractat, ut lib. I. epistolarum. Epist. I. Prima dicte mihi &c. ubi incipit παραβολὴν à similitudine conferens se gladiatori donato rude, & similitudinem illam continuat usque ad extremam arenam. Aliquando multa similia ponit, ut paulò ante, Vt mala quem scabies, aut morbus regius urget, Aut fanaticus error, & iracunda Diana. Eiusmodi similitudines congestæ, faciunt orationem Socraticam. Socrates enim cùm uult indoctos docere, utitur exemplis & similitudinibus. A multis similibus, nunc uenit Horatius ad unum, & comparat insanum poetam aucupi. Vt enim is dum laqueos

tendit,

tendit, & aues captat, incidit in foueam, aut puteũ: Sic malus poeta, dum aucupatur & mercede inuitat auditores, incidit in hominum uituperationem. Merulis.) Per merulas quaſuis aues intelligit. *Longũ.)* Diu, ex loco longinquo. *eſt homonymia, & tempus, & locum notans. Succurrite.)* miſero mihi poetæ, qui incidi in foueam. *Non ſit.)* Non eſſe poterit. *Tollere.)* Eleuare, eripere ex fouea. *Opem ferre.)* Si quis uelit demittere funem, diceret quis, cur uis huic fanatico ſuccurrere, relinque eum in fouea, in contemptu auditorum. *Dicam).* Hactenus ſimilitudines, nunc exemplum adfert. *Poetæ Siculi.)* Empedoclis. *Deus.)* Tolli in cœlum, referri in numerum Deorum. *Sit ius.)* Concluſio. habeant illud ius mali poetæ, ut liceat interire ipſis. *Inuitum.)* nihil eſt diſcriminis inter ſeruare inuitum, & occidere inuitum. Si uis inuitum ſeruare, dicit, cur me enecas, nolo uiuere, & ſic bis moritur. *Nec ſemel fecit.)* malus poeta. non iſtud primum eſt illius carmen, nõ prima irriſio. Retractus.) ex fouea. *Homo fiet.)* reſipiſcet. in huiusmodi poetis eſt homo, ſpecie, non re ipſa. *Et.)* nec famoſæ.) infamis mortis.

TEXTVS.

Nec ſatis apparet, cur verſus factitet: vtrum
Minxerit in patrios cineres, an triſte bidental
Mouerit inceſtus. certe furit: ac uelut vrſus,
Obiectos caueæ valuit ſi frangere clathros,
Indoctum, doctumque fugat recitator acerbus

Quem vero arripuit, tenet, occiditque legendo,
Non missura cutem, nisi plena cruoris, hirudo.

SCHOLAE

Hactenus effecta enumerauit, id est, ea quæ malo poetæ eueniunt. nunc sequuntur causſæ efficientes huius mali. persuasio doctrinæ, immodica auiditas librorum, ineptum hominis iudicium. sed has Horatius non ponit, uerum poeticè commutat cum causſis hyperbolicis, malum istud augentibus. Cur factitet.) Quæ causſa sit quod uersus faciat. Factitare, est uersus temerè fundere, paucos bonos facere, multos, uel omnes malos. Factitare est quotidiè aliquid adferre. In cineres patrios.) in sepulchrum patris. sepulchra erant sacrosancta. & sic habebatur pro scelere nefario, si quis lotio conspurcaret sepulchra, præsertim patria. Bidental.) Vulgo dicitur locus, fulmine ictus. propterea quod locus iste expiabatur bidentibus. sed Horatius & Persius uidentur mihi non pro loco solum sumere:: uerum etiam pro re fulmine icta. Idcirco & ego bidental accipio, pro loco, fulmine de cœlo tacto: accipio etiam pro re ipsa: siue ea pecus sit, siue homo. Mouerit.) adiunxerit. Ac uelut.) Aliud simile. quo comparat poetam malum, urso incluso, qui nihil aliud cupit quam euadere & perfringere opposita sepimenta. Caueæ.) Carcere feneſtrato. Clathros.) opposita septa, sepimenta, ligna. Recitator.) Dum uult recitare. Acerbus.) dolorem

acer-

acerbum adferens: cum summo fastidio. Doctum.) auditorem. Legendo. Recitando suos uersus. Non missura.) Comparat malum poetam hirudini, uermiculo in locis paluſtribus habitanti. Vt enim hirudo exugit sanguinem bonum in homine: ita malus poeta tractatione sua eundem aufert. Postquam igitur Horatius ostendit officia bonorum poetarum, & causſas efficientes poeseos, bonos artifices et emendatores, malos & uitiosos poetas, præmia item eorundem, & causſas efficientes. finem tandem arti poeticæ imponit. Desinit autem in tractatione ineptorum poetarum propter has præcipue causſas. ut consuetudinem sui temporis uituperet. 2. ut quid discriminis sit inter bonum & malum poetam, ostendat. 3. ut consuetudinem sui seculi emendet atq; corrigat.

FINIS SCHOLARVM
artis poeticæ Horatianæ.



Digitized by Google